



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio II. Vtrùm relatio distinguatur à suo fundamento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. II. Vtrum relatio distinguatur, &c. 671

dirigere, seu in aliud tendere, tanquam in finem, omnia, inquit, ad eorum voluntatem dicta factaque referantur; relatio autem erit ipsa directio, seu ratio, per quam res in aliud diriguntur. Unde constat semper respicere aliud, quia vero collatio, vel directio est ad aliud, ea ratione prædicamentum hoc ad aliud, & relationis nominatur.

QVÆSTIO II.

Vtrum relatio distinguatur à suo fundamento.

SECTIO I.

Sententie Adversariorum proponuntur.

P R I M A sententia negat, relationem distinguere in re aliqua distinctione actuali à suo fundamento: sed tantum distinctione rationis, habente in rebus fundamentum aliquod: hanc sententiam patrocinantur multi Theologi, præsertim Nominales in 1. dist. 30. Oxam quæst. 1. dist. 31. Gregorius & Egidius in 1. dist. 26. eandem tenet Hervæus; ex neoteris ex parte consentit P. Vazq. tom. 2. in primam p. disp. 153. qui in initio capituli secundi ait, creationem esse relationem creaturæ ad creatorem, & cap. 3. hæc verba profert: probabilius sententia est relationem creationis non distinguere realiter à substantia creaturæ, ut optime convincit Scotus q. illa 58. ad quæstionem istam; hac ratione, quotiescunque relatio, & substantia, seu absolutum ita se habent, ut vnum sine alio etiam de potentia absoluta Dei, nequeat esse, non possunt distinguere realiter, aut saltem nullum habemus argumentum ad probandam distinctionem realem inter ea: sed ita se habent relatio creationis, & creatura: ergo non possumus asserere ex natura rei distinguere. Dixi ex parte consentire P. Vazq. quia de alijs relationibus videtur asserere distinguere ex natura rei à fundamento.

Clarius autem Pater Suarez defendit hanc sententiam 2. tom. metaphys. disp. 47. sect. 2. num. 22. ubi hæc profert verba. Inter has ergo sententias mihi maxime probatur quinta, quam Hervæus, & nonnulli alij Thomistæ docuerunt, à quorum sensu fecerunt nihil discrepare Nominales, & Aristoteles, & D. Thomas multum favent; hæc tamen sententia ita est interpretanda, ut non intelligatur rationem formalem relationis esse nihil, aut denominationem relativam esse mere extrinsecam sumptam ab aliqua forma absoluta: iuxta hunc enim sensum omnino ea verteretur, & è medio tolleretur reale prædicamentum ad aliud: sed intelligendum est relationem quidem dicere formam aliquam realem, & intrinsecam de nominantem proprium relativum, quod constituit; illam vero non esse rem aliquam, aut modum ex natura rei distinctum ab omni forma absoluta: sed esse in re formam aliquam absolutam non tamen absolute sumptam: sed ut respiciantem aliam, quam denominatio relativa includit seu connotat. Ita ut similitudo, v. g. ali-

qua forma realis sit existens in re, quæ denominatur similis, illa tamen non sit in re distincta ab albedine quantum ad id, quod ponit in re, quæ dicitur similis: sed solum quantum ad terminum, quem connotat, & ita similitudo in re non est aliud quam ipsamet albedo, ut respiciens aliam albedinem, tanquam eiusdem, seu similis rationis. Atque hæc distinctio rationis sufficit tum ad diversas loquendi formas, tum etiam ad prædicamentorum distinctionem: nam ut supra diximus prædicamentalis distinctio interdum est sola distinctio rationis cum aliquo fundamento in re, ut de actione, etiam & passionem, & de alijs prædicamentis inferius dicemus. Atque hæc sententia magis declarabitur, tum ex solutionibus argumentorum, tum etiam ex sequentibus sectionibus: sic explicata sententia probatur.

Primo ex Damasceno in sua dialectica, cap. 50. ubi sic ait: Oportet, ea, quæ ad aliquid dicuntur; prius ad aliud prædicamentum reduci, tanquam separatim considerata, & tunc demum, ut habitudinem, & affectionem ad alterum habentia ad ea, quæ ad aliquid sunt referri; quippe prius aliquid sine habitudine, ac relatione esse necesse est, ac tunc habitudinem in ipso considerare: sic ille.

Secundo probatur verbis D. Thomæ opusc. 48. cap. 2. de ad aliquid, ubi sic ait. Cum autem dico quod similitudo fortis habet albedinem eius ut fundamentum, non est intelligendum, quod similitudo fortis sit aliqua res in sorte alia ab ipsa albedine; sed solum est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis, ut ad terminum; si enim similitudo adderet supra albedinem fortis aliquam rem nullo modo posset aliquis alicui fieri similis sine sui mutatione ut patet; nam si quis in India fieret modo albus, fieret similis mihi, & ego sibi nulla in me facta mutatione; similitudo enim in me nullam rem addit supra albedinem, quæ realiter sit in me, ut patet: sic ille.

Quibus verbis D. Thomas non solum profert suam sententiam: sed etiam ratione de mutatione in illis inclusa probat efficaciter illam: quæ ratio tam probat de distinctione reali, quam modali; nam etiam si non ut res: sed solum ut modus distingueretur relatio, non posset sine aliqua reali mutatione fieri in subiecto; atqui ex verbis Divi Thomæ fit sine mutatione vlla: ergo relatio nec realiter, neque ex natura rei distinguitur à suo fundamento.

Dices adhuc posse responderi à D. Thomæ non affirmari identitatem relationis, & fundamenti; tum, quia illud de mutatione intelligitur de motu per se, qui non datur ad relationem, tum quia modus ex eo quod modus sit, & non res, non est alia res à suo fundamento.

Contra, quia D. Thomas clare indicat identitatem illis verbis, sed solum est ipsa albedo. Ad id, quod dicitur de motu per se responderi potest, D. Thomam omnem mutationem negasse illis verbis, nullo modo, &c. at mutatio per accidens est vere mutatio sicut Navarchus vere mutatur in navi: ergo non solum motum per se, sed etiam mutationem per accidens, negat ut patet ex illo simili, quo utitur, videlicet, quia ex eo quod in India homo fiat albus, cur ego mutabor in Hispania; unde concludit illis verbis, nulla in me facta mutatione. Videns autem Angelicus Doctor quid inde sequeretur, id obijcit, & explicat distinctionem

inctionem relationis per terminum, & non per aliquid in fundamento.

Ad id de modo dici potest apud antiquos non fuisse tam exactam disputationem de modis, & rebus, & quidem variatio intrinseci modi mutatio est; imo motus localis, non nisi ad modum terminatur. Deinde septem vltima prædicamenta modi sunt, & non res, quæ tamen re esse differentia affirmat Sanctus Tho. eo cap. 7.

9 Tertio probatur ratione, quia omnis forma constituens aliquid subiectum formaliter tale ut quod, debet habere in se ut quo illam rationem, quam tribuit; sed si relatio identitatis distingueretur ex natura rei à Petro, non haberet, ut quo effectum formalem, quem tribuit Petro; ergo non distinguitur ex natura rei à Petro. Minor sic probatur. Relatio identitatis ut distincta ab ipso fundamento non habet ut quo identitatem fundamenti cum termino, quod sic probatur. Relatio identitatis est ratio, quæ duo individua sunt idem in specie; sed si relatio identitatis distingueretur à suo fundamento, non posset esse ratio, propter quam vnum individuum sit idem cum alio in specie; ergo ea relatio non distinguitur à suo fundamento; probo minorem. In Petro, & Paulo relatio ab illis distincta non est idem cum illis ut quo; ergo non est ratio, ob quam illi sint idem ut quod; consequentia patet ex dictis. Probo antecedens, quia relatio illa cum sit accidens est distincta intrinsece à Petro, & Paulo; ergo non potest esse ratio identificandi Petrum cum Paulo, quia forma, quæ non est identitas aliquorum, non potest esse ratio, quare alia sint idem.

10 Quarto: si relatio identitatis esset distincta realiter à Petro, daretur processus in infinitum relationum realium, quod est absurdum: ergo non distinguitur. Probo antecedens. Relatio, quæ est in Petro, est diversa ab essentia Petri: ergo dicit relationem diversitatis ad illam. Item hæc secunda relatio est diversa à relatione identitatis Pauli: ergo dicit aliam relationem diversitatis; hæc tertia etiam est diversa ab essentia Petri; ergo dicit aliquam diversitatem: ergo proceditur in infinitum.

11 Confirmatur. Relatio non potest separari à fundamento posito termino: ergo non distinguitur à fundamento. Probo antecedens, existentes Petrus, & Paulus cum albedine in eodem gradu sunt necessario similes, nec possunt divinitus non esse similes; similia enim teste Aristotele sunt, quorum qualitas est una, id est, eiusdem speciei, illæ autem qualitates essent una, nam essent eiusdem speciei; ergo subiecta illas habentia haberent definitionem similitudinis: ergo relatio non est separabilis à fundamento posito termino.

12 Quinto, ad hoc ut aliqua dicantur formaliter dissimilia, non est necessarius modus aliquis à parte rei distinctus: ergo neque ad hoc ut formaliter similia dicantur; consequentia est evidens à paritate rationis. Antecedens sic probatur, in frigido, & calido, quæ dissimilia in qualitatibus sunt; sed dissimilitudo hæc formaliter provenit ab ipsis harum qualitatum entitatibus: ergo frustra modus distinctus additur. Minor sic probatur, qualitates istæ sunt essentialiter contrariæ: ergo subiecta illas habentia per solas earum entitates dissimulantur. Constat antecedens; nam calor per id formaliter est contrarius frigori, per quod formaliter potest expellere frigus à subiecto; sed calor expellit frigus formaliter à subiecto per

suam propriam præcisam entitatem, & non per modum sibi realiter superadditum, sive sit abolutus, sive relatio, quia relatio non est ratio agendi, sed referendi: ergo per solam, & præcisam suam entitatem contrariatur illi: ergo per solam illam est formaliter dissimilis, seu dissimilatur. Vnde sine necessitate modus ille confingitur.

Sexto, & sumamus quantitatem vnius palmi, & alteram quantitatem semipalmi. Istæ duæ quantitates per suas entitates præciso alio modo sunt inæquales: ergo per suas entitates præciso alio modo habent relationem inæqualitatis. Patet Antecedens, quia vnus palmus per suam entitatem excedit semipalmum, & semipalmus per suam entitatem exceditur à palmo; ergo palmus, & semipalmus per suas entitates præciso alio modo constituunt relationem inæqualitatis. Patet antecedens, quia palmus per suam entitatem includit formaliter plures partes, quam semipalmus: ergo palmus per suam entitatem excedit semipalmum.

Dices, eas duas quantitates esse inæquales fundamentaliter, & non formaliter, constitui autem formaliter inæquales relatione ab utraque distincta.

Contra; quia hic non distinguitur inæqualitas fundamentalis à formalis: sed per se sunt inæquales fundamentaliter: ergo, & formaliter; probo maiorem, quia inæqualitas formalis est forma formaliter includens plures partes, quam alia, quæ pluralitas non habetur fundamentaliter, sed formaliter: at inæqualitas formalis est formalis pluralitas, & paucitas palmarum; ergo. Maior patet. Quia palmus in se habet partes plures semipalmo. Minor non eget probatione. Explicatur. Sumo illam inæqualitatem fundamentalem; rogo utrum per illam palmus sit actu maior semipalmo, vel non: hoc secundum dici non potest; nam palmus per se continet plures partes semipalmo; ergo actu est maior; & relatio, quam tu fingis, non facit palnum maiorem, quia illi nihil addit, quo sit maior; sed potius supponit excessum, quo superat semipalmum: ergo sine isto modo palmus est maior actu; ergo sine isto modo est actu inæqualis. Patet consequentia, quia ratio, per quam una quantitas aliam excedit actu, & est illa maior est inæqualitas.

Septimo, si relatio distingueretur à suo fundamento, non posset esse sine efficientia; inquit ergo an illa efficientia sit ab ipso termino in fundamentum, vel ab ipso fundamento in seipsum per naturalem resultantiam. Primum non potest dici; si autem dicatur secundum; sic virgo, quia talis resultantia, & qualiscunque efficientia non potest esse sine concursu Dei, quem ipse potest suspendere, & quamvis ponamus illum suspendere, & consequenter nullam intervenire resultantiam realem; tunc autem sequeretur duas albedines esse similes, & non similes; essent similes, quia retinerent eandem unitatem in albedine; non essent similes ob defectum relationis similitudinis.

Secunda sententia potest esse assertorium, relationem esse denominationem extrinsecam, relationem esse denominationem extrinsecam, huius sententia nullum video autorem ex his qui sua opera typis mandarunt, & ideo denominatio relationis sine aliqua mutatione intrinseca fundamenti resultat in illa expositione termini; sed quæ hoc modo se habet, est denominatio extrinseca.

Quæst. II. Vtrum relatio distinguatur, &c. 673

extrinseca : ergo relatio est talis denomina-

18 Secundo, quia sicut se habet positio visionis in oculo ad obiecti visi denominationem, sic se habet positio termini ad denominationem relati in fundamento; sed denominatio visi est denominatio extrinseca: ergo etiam denominatio relati.

19 Confirmatur, quia illa denominatio, quæ sumitur ab aliquo extrinseco est extrinseca in denominatione; sed denominatio relati sumitur ab extrinseco: ergo est extrinseca denominatio.

SECTIO II.

Nostra sententia proponitur, & probatur, auctoritate.

20 **P**rima conclusio: omnis relatio prædicamentalis distinguitur à parte rei à suo fundamento; hanc sententiam defendunt fere omnes Thomista, Caietanus, 1. p. q. 28. art. 2. & ibidem Banez, Ferrara, 4. lib. contra Gent. cap. 14. Soto q. 2. huius prædicamenti, Capreolus in 1. dist. 3. q. 1. Scotus in 2. dist. 1. q. 5. & in 3. dist. 8. q. 1. P. Fonseca, 5. lib. metaph. cap. 10. q. 2. sect. 1. P. Rubius, 6. 7. de ad aliquid, q. 1. 4.

21 Probatur primo auctoritate Aristotelis lib. 5. phys. text. 10. ubi sic ait. Si igitur in substantiam, & qualitatem, & ubi, & id, quod ad aliquid est, & quantum, & agere aut pati, categoriæ sunt divisæ, tres sint motus necesse est per se, & eius, quod quantum est, & eius, quod quale, & eum, qui in loco sit; in substantia autem motus non est: at neque in eo, quod est ad aliquid. Ita eorum motus ex accidente est; ubi ut optime advertit D. Thomas, & communis Schola, Aristoteles docet, fundamentum relationis, quod est quale, & quantum fieri per motum per se. Relationem autem, seu ad aliquid non fieri per motum per se, sed per motum realem per accidens, id est, qui vere à parte rei est, nam agens de substantia, & ad aliquid, ut patet ex textu, & Verbis adductis, ait: & eorum motus ex accidente est, ubi Philosophus eodem tenore, & eadem universalitate, eodemque indiduo nomine motus loquitur de motu, per quem producit substantia, & de motu, per quem fit relatio; sed substantia licet non producat per motum successivum, qui per se motus vocatur ab Aristotele, producit tamen per realem mutationem, quæ motus per accidens dicitur: ergo similiter in sententia Aristotelis, licet relatio non producat per motum realem successivum, qui vocatur per se, producat tamen per mutationem realem, quæ per accidens potest esse successiva: & sicut motus substantiæ (quæ est fundamentum, & subiectum, quantitatis, & qualitatis) quia per accidens est successivus, licet per se instantaneus, distinguitur à parte rei à mutatione per se successiva quantitatis, & qualitatis quæ recipiuntur in substantia. Ita similiter motus per accidens, per quem producit relatio, quia per accidens est, distinguitur ex natura rei à motu per se qualitatibus, & quantitatis, in quibus talis relatio fundatur, & recipitur.

22 Tunc sic, quæ actiones, seu motus realiter distincti unus per se successivus, & ideo per se motus, & alter per accidens successivus, ac proinde per accidens motus, non possunt terminari ad

eandem entitatem realiter producendam; sed necesse est, ut terminentur ad duos terminos à parte rei distinctos: sed ad relationem, & ad fundamentum illius v. g. qualitatem, & quantitatem, terminantur duo motus realiter distincti, unus per se, & alius per accidens: ergo relatio, & fundamentum non sunt idem à parte rei, sed potius distinguuntur ex natura rei: consequentia suppositis maiori, & minori est evidens. Minor patet ex nuper dictis. Maior sic demonstratur ex illo evidenti axioma, frustra sunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora; atqui una, & eadem res sufficienter potest produci per unicum fieri seu per unicum motum: ergo frustra, & superflui essent duo motus realiter distincti ad unam, & eandem entitatem producendam; nam factum esse, & fieri habent hanc proportionem ut unico facto esse correspondeat unicum fieri, & ideo ad eum non terminatur distincta actio realiter ab ea, quæ terminatur ad substantiam, & in homine non terminantur plures realiter distinctæ actiones ad vivens, corpus, animal, rationale, quia hæc omnia prædicata identificantur realiter inter se, & non distinguuntur; contra vero substantia, & quantitas terminant duas actiones realiter distinctas, unam, quæ est per se motus; & alteram, quæ est per accidens talis: ergo duæ actiones, seu motus realiter distincti, &c.

Dices, distinctionem rationis, quæ intercedit inter fundamentum, & relationem sufficere, ut terminentur duas actiones productivas realiter distinctas.

Sed contra, quia sicut relatio, & entitas fundamenti sunt idem realiter, licet distinguantur ratione, ita similiter possunt per eandem realiter actionem produci, dum tamen per rationem distinguatur talis actio in duas.

Vergetur, quia animal, & rationale distinguuntur ratione, & nihilominus non possunt produci per duas actiones realiter distinctas; pluralitas enim rationis nihil facit ad pluralitatem realem in actionibus, nec talis distinctio rationis in termino villo modo conducit ad distinctionem realem in actione.

23 Illa præcipua maior sic efficaciter confirmatur; nam entitas, quæ terminat motum per se, est per se producibilis, & entitas, quæ terminat motum per accidens in ea ratione, quæ est per accidens, est per accidens producibilis, sive absolute, sive successive; atqui entitas per se producibilis, & per accidens producibilis; vel aliter, entitas successive producibilis per se, & entitas instantanee producibilis per se distinguuntur realiter, ut videre est in figura, quæ per accidens producit, & in quantitate, quæ per se producit: quod etiam patet manifeste in luce, & in specie impressa, quæ per se instantanee producantur, & in calore, qui per se successive producit; quæ omnia distinguuntur realiter, quia formalitates tam diversæ, & tam diversos modos producendi exigentes ex natura sua, non possunt in eandem entitatem realiter coincidere, præcipue cum sint formalitates, non ad cognitionem pertinentes, per quam fingitur ens rationis, sed ad productionem realem, quæ realiter ante omne opus rationis existit, ac proinde ante omne ens rationis: ergo entitas, quæ terminat motum per se, & entitas quæ terminat motum per accidens, distinguuntur à parte rei; atqui relatio, & fundamentum sunt huius-

Q999 modis;

modi: ergo distinguuntur ex natura rei.

27 Secundo probatur hoc ipsum alijs verbis Aristotelis, 1. 6. *met.* qua circumferuntur communi illo axioma Dialecticorum, omniumque Philosophorum: posito fundamento, & termino resultat relatio prædicamentalis, id est posito fundamento, & termino emanat, fitque per emanationem, aut actionem resultantia à fundamento in se ipsum relatio prædicamentalis, ubi actionem illam, per quam relatio producit, quamque supra vocaverat Aristoteles motum realem per accidens, appellat nunc resultantiam seu emanationem absolute, ac simpliciter, hoc est realem, quibus positis sic argumentor.

28 Quando per realem resultantiam, & emanationem fit aliqua realitas in aliquo subiecto, illa realitas distinguitur à subiecto in quo resultat, seu emanat; ut videre est in frigiditate respectu aquæ, in subsistentia respectu naturæ, quæ quia emanant à suis subiectis, distinguuntur à parte rei ab illis; idem enim non potest resultare à se ipso, nec dimanare, aut produci, quia quidquid producit ab alio producit, ut est evidens axioma in metaphysica, per quod evidenter demonstratur existentia Dei, nec emanatio, & resultantia realis potest esse alicuius entis rationis: sed relatio resultat in fundamento posito termino, ut ait axioma Aristotelis: ergo producit in fundamento per emanationem, & resultantiam ab ipso: ergo relatio distinguitur à fundamento ex natura rei.

29 Maior illa sic demonstratur. Illa distinguuntur à parte rei, inter quæ datur ratio effectus, & causæ; sed inter resultans, seu emanans, & illud, à quo resultat, datur suo modo ratio effectus, & causæ, illud enim quod resultat ab aliquo, & per emanationem, seu resultantiam fit ab eo, est suo modo effectus illius, à quo resultat, ut frigiditas est effectus suo modo aquæ, figura quantitatis, subsistentia naturæ: ergo realitas, quæ resultat, & fit per emanationem ab aliquo, distinguitur à parte rei ab eo, à quo resultat.

30 Confirmatur ex ipso Aristotele 5. *met. tex. 20.* ubi ait; omne relativum consequi ad aliquod absolutum à parte rei: ergo est posterius natura à parte rei, quia est consequutio media dependentia emanationis, & resultantia: ergo distinguitur relatio ab absoluto, in quo fundatur, quia illud, quod est posterius natura, & consequitur ad aliquod media dependentia, & emanatione distinguitur realiter ab eo ad quod consequitur, & à quo dependet, ut ex terminis patet.

31 Item 12. *met. tex. 19.* ait Aristoteles, prædicamentum ad aliquod, & prædicamentum substantia habere propria, & distincta principia, & 5. *met. tex. 14.* docet prædicamentum ad aliquod, & prædicamentum substantia esse plura entia realia, ex quibus sic colligo; ea, quæ non distinguuntur à parte rei, nec habent distincta principia propria, nec sunt plura entia realia, sed potius unum ens reale; quis enim potest dicere, divinitatem, & relationem paternitatis esse plura absolute realia; Item ens, & substantiam esse plura entia; sed relatio ut ex illis verbis patet, habet propria, & distincta principia à substantia, & prædicamentum relationis, & substantia, &c. sunt plura entia à parte rei: ergo relatio distinguitur à parte rei à cæteris prædicamentis.

SUBSECTIO I.

Auctoritate Divi Thomæ efficaciter probatur conclusio.

PROBatur secundo auctoritate D. Thomæ 1. 3. *p. q. 28. art. 2. ad 2.* ubi expresse nostram sententiam docet his verbis. Ad secundum dicendum, quod sicut in rebus creatis in illo, quod dicitur relative, non solum est invenire respectum ad alterum; sed etiam aliquid absolutum, ita & in Deo; sed tamen aliter, & aliter; nam id quod invenitur in creatura, præter id quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res: in Deo autem non est alia res: sed una, & eadem, & paulo post: non sequitur, inquit, quod in Deo præter relationem sit aliquid aliud secundum rem: sed solum considerata nominum ratione. Sic Angelicus Doctor, in creatis absolutum, seu fundamentum relationis est alia res ab ipsa relatione, quæ fundatur immediate in ipso absoluto secundum Divum Thomam: ergo ex sententia Angelici Doctoris distinguitur fundamentum à parte rei à relatione, quæ fundatur in ipso.

Dices, esse aliam rem formaliter, aut per intellectum seu per rationem, non vero à parte rei, ac proinde solum per rationem, & non à parte rei distingui fundamentum à relatione.

Sed contra evidenter, quia in hoc loco, ubi Angelicus Doctor dicit, quod in creaturis est alia res fundamentum à relatione, ponit discrimen, & differentiam inter relationes divinas, & creatas (illis verbis: sed tamen aliter, & aliter; nam id, quod invenitur in creatura præter id, quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res, in Deo autem non est alia res, sed una, & eadem) in hoc, quod in creatis fundamentum sit aliud à relatione in divinis vero non; sed si in creatis ex mente ipsius absolutum esset alia res solum formaliter, & per rationem, & non à parte rei, nullum esset discrimen assignatum à D. Thoma inter relationes divinas & creatas: ergo si D. Thomas rectum discrimen tradidit, dicendum est secundum mentem ipsius absolutum, quod fundat relationem creatam non solum esse aliam rem per intellectum, & formaliter à relatione, sed etiam à parte rei, ac proinde non solum distingui per rationem à relatione, sed etiam à parte rei. Hæc minor sic probatur, quia etiam divina essentia, seu absolutum divinum distinguitur formaliter, & secundum rationem, ac proinde est alia res per rationem à relatione, & verbis expressionibus, quæ sunt in illa ex mente, & verbis expressis D. Thomæ, nam ipse Doctor in corpore huius articuli, paulo antequam hoc discrimen tribueret, dixit; & sic manifestum est, quod relatio realiter existens in Deo, est idem essentia secundum rem, & non differt, nisi secundum intelligentiam, propterea in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentia: patet ergo quod in Deo non est aliud esse relationis, & esse essentia, sed unum, & idem, quod etiam docuit illis verbis supra citatis, ubi: non sequitur quod in Deo præter relationem sit aliquid aliud secundum rem, sed solum considerata nominum ratione, &c.

Quibus verbis evidenter docet relationem divinam

Quæst. II. Vtrum relatio distinguatur, &c. 675

vinam, & creatam convenire in hoc, quod veraque distinguatur ab absoluto in quo est, per rationem, ac proinde absolutum esse aliam rem formaliter à respectivo: ergo secundum D. Thomam non differunt in distinctione rationis, nec in eo, quod sit alia res per rationem absolutum creatum à relatione creata; siquidem conveniunt in hoc ipso, quia ratio conveniendi duorum non est ratio differendi inter illa: ergo discriminantur in alia distinctione; sed non est alia, nisi quæ datur à parte rei: ergo ut verificetur hoc discrimen, & suum finem consequatur D. Thomas in illo tribuendo absolutum creatum, non solum est alia res secundum rationem, sed etiam à parte rei à relatione, alias inepte procederet D. Thomas discriminando relationes divinas à creatis; si quidem assignaret pro discrimine rationem in qua conveniunt, & non in qua differunt; sicut v. g. inepte procederet, qui volens discriminare, & differentiam tribuere inter equum, & hominem diceret, homo distinguitur ab equo in hoc, quod homo est vivens sensibile, & tota ratio huius inepte differentie esset, quia tribueret pro ratione differentie rationem, in qua conveniunt, & non differunt equus, & homo: ergo si D. Thomas assignat discrimen inter relationes divinas, & creatas ex vi distinctionis rationis relationis ab absoluto, assignabit sine dubio id, in quo conveniunt potius quam differant, cum tam relationibus creatis, quam increatis doceat Angelicus Doctor convenire distinctionem rationis ab absoluto, in quo sunt: ergo non recte procederet, ne igitur hoc absurdum imputetur tanto Doctori, dicendum nobis est pro discrimine inter relationes creatas, & divinas assignasse distinctionem à parte rei, & alieitatem, quæ datur ex natura rei inter absolutum creatum, & relationem creatam, & minime convenit relationibus divinis respectu absoluti, in quo sunt.

³⁵ Quæ omnia clarissime patet ex verbis ipsius Doctoris, quæ in *dispo. articulo 2. ad 2. in fine* profert; ubi se explicans de qua alieitate loquitur, iam non dicit est alia res, sed est aliquid aliud secundum rem, id est aliquid aliud à parte rei: Illa enim verba, secundum rem, & à parte rei synonyma sunt apud D. Thomam: ergo si secundum D. Thomam absolutum, seu fundamentum creatum est aliquid aliud secundum rem à relatione erit distinctum à parte rei ab illa, & non solum per rationem; ubi data opera usus est vocabulis clarissimis, ne fallacibus interpretationibus aliqui sua verba, & mentem tenebris offunderent; ac ne tandem verba prædicta aliquam obscuritatis dubitationem paterentur, quam patiebantur illa verba, est alia res; nam potest dici animal est alia res à rationali, videlicet alia res per intellectum, vel per rationem, & tamen non potest dici, animal est aliquid aliud secundum rem à rationali, quia hoc denotat, distinguere realiter; sicut de Deo potest dici iustitia est alia res à misericordia; scilicet per intellectum, & per rationem, & nihilominus non potest dici, iustitia est aliquid aliud secundum rem à misericordia, quia hic modus loquendi exprimit distinctionem à parte rei, & hæc nullo modo datur inter iustitiam, & misericordiam: ratio autem discriminis in his modis loquendi est, quia in primo illud nomen res non cadit supra distinctionem, sed supra fundamentum; in secundis autem verbis illud, secundum rem non cadit supra fundamentum.

R.P. *Idem de Penafel, Theol. Schol. Tom. I.*

tum, sed supra distinctionem significatam per illud nomen aliud, cui immediate coniungitur terminus secundum rem, ut denotet talem distinctionem esse à parte rei, & non per rationem.

Ergo si D. Thomas ut discriminet relationes creatas à divinis, sic ait; unde non sequitur, quod in Deo præter relationem sit aliquid aliud secundum rem, sed solum considerata nominum ratione; sicut sequitur in creatis, ubi fundamentum est aliquid aliud secundum rem, necessario, ac evidenter sequitur ex verbis D. Thomæ, relationem creatam distinguere à parte rei à suo fundamento.

Totum hoc amplius vrgent, & explicant verba ipsius Doctoris, q. 8. de potentia Dei, art. 2. ubi sic ait; substantia creata non potest sibi identificare relationem, quæ est definita ad tale genus, in quo differt à substantia, & essentia Dei; quæ cum sit infinita, & supra omnia geneta, potest alia sibi identificare. In quibus verbis clarissime docet D. Thomam, solam essentiam divinam propter suam infinitam sibi identificare relationem realem, substantiam vero creatam, quia finita est, non posse, quid clarius?

Nec valet dicere, ideo id asseruisse D. Thomam, quia iudicabat Angelicus Doctor, nullam relationem immediate fundari in substantia, & natura creata, sed in accidentibus, ut in quantitate, quæ realiter distinguuntur à substantia, ac per consequens relationes, quæ in illis immediate fundantur.

Non enim hoc valet dici, quia certissimum est in sententia D. Thomæ aliquas relationes immediate in natura, & substantia fundari, quod patet manifeste ex his verbis, quæ profert ipse Angelicus Doctor 1. p. q. 28. art. 1. ca. quæ dicuntur ad aliquid significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud, qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rei; utpote quando aliquæ duæ res secundum naturam suam ad invicem ordinatæ sunt, & invicem inclinationem habent, huiusmodi relationes oportet esse reales; sicut in corpore gravi est inclinatio, & ordo ad locum medium; unde respectus quidam est in ipso gravi respectu loci medi, & in forma respectu materiæ, & similiter est de alijs huiusmodi. Clarius autem hanc veritatem declarat Angelicus Doctor q. 7. de potentia, art. 9. ad 4. his verbis: Creatura refertur ad Deum secundum suam substantiam; sicut secundum causam relationis, secundum vero relationem ipsam formaliter; sicut aliquid dicitur simile secundum qualitatem causaliter secundum similitudinem formaliter. Sic ille; ubi comparat relationem similitudinis cum relatione creaturæ ad Creatorem quoad fundamentum immediatum in hoc, quod sicut relatio similitudinis fundatur in qualitate, ita relatio creaturæ in substantia illius; sed relatio similitudinis immediate fundatur in qualitate, & ideo qualitas est causa illius; ergo relatio creaturæ ad Creatorem immediate fundatur in substantia creatæ; siquidem D. Thomas asserit ita esse causam creaturæ relationis substantiam creatam, sicut qualitas est causa relationis similitudinis.

Dices, sufficere ad hoc ut sit causa, esse medium fundamentum.

Contra, quia si ex eo solum quod mediate fundatur relatio creaturæ in substantia, vocaretur à D. Thomam substantia causa relationis creaturæ, etiam substantia esset causa secundum D. Thomam.

Q999 2 man

nam relationis similitudinis, quia etiam mediante qualitate fundatur relatio similitudinis in substantia, & nihilominus ait, qualitatem esse causam similitudinis, & non substantiam, substantiam vero esse causam relationis creaturæ ad creatorem: ergo in sententia Divi Thom. relatio creaturæ cum fundatur mediate, sed immediate in substantia, cum non mediantibus accidentibus, sed immediate à Deo creetur substantia creata.

Item adverte illa verba secundum substantiam, &c. & illa, sicut aliquid dicitur simile, &c. quibus aperte docet, substantiale fundamentum, & qualitatem esse absolute, & simpliciter causas relationum quæ in ipsis fundantur; sed causa, & effectus distinguuntur à parte rei: ergo in sententia D. Thom. relatio, & fundamentum à parte rei distinguuntur.

Idem docet Angelicus Doctor *quest. 3. de potentia, artic. 3. & 1. p. quest. 28. artic. 1. ad 2. expresse docet relationem identitatis specificæ ita immediate fundari in substantia, sicut similitudo in qualitate, & æqualitas in quantitate; quod repetit eisdem pene verbis opus. 48. cap. 3. dum ait: in vno vero, id est in substantia fundatur identitas, & in quantitate æqualitas, & paulo ante in eodem capite sic ait: nihil tamen obstat, quin relatio possit fundari immediate in substantia; creatura enim secundum suam essentiam non per aliquid sibi additum refertur ad Creatorem, cum non per aliquid superadditum fundet relationem creaturæ: ergo ex sententia D. Thom. relatio immediate fundatur in substantia.*

Præterea, idem D. Thomas 4. lib. contra Gent. c. 14. ait, quod relatio creata sic inheret subiecto, ut faciat compositionem realem cum illo: relatio vero Divina non facit, sed non datur compositio realis, nisi inter distincta realiter: compositio enim est distinctorum unio, & compositio realis distinctorum realiter unio: ergo inter relationem, & fundamentum datur distinctio realis, siquidem datur compositio realis inter illa. Item eodem loco ait sic relatio realiter adveniens substantiæ, sed nihil sibi realiter advenit: ergo relatio non est idem cum substantia. Tandem 3. p. q. 16. art. 6. & in primo distinctione 26. q. 2. art. 2. ad 3. & 8. de potentia, art. 2. ad 1. expresse docet, relationem, & fundamentum distinguuntur à parte rei.

SVBSECTIO II.

Prima ratio pro nostra conclusione ponitur.

Nulla entitas creata potest transire de contradictorio intrinsece negativo in contradictorium positivum intrinsecum realiter sine reali, & intrinseca mutatione illius: sed Petrus, qui antequam genuisset filium, non erat Pater intrinsece, & postquam genuit, seu habuit illum est intrinsece Pater, transit de contradictorio negativo intrinseco in contradictorium positivum realiter: ergo talis transitus non est sine mutatione intrinseca reali entitatis Petri.

Tunc sic. Non potest dari mutatio intrinseca realis in aliquo de negativo in positivum, sine eo quod deat aliquid intrinsecum reale positivum de novo, quod antea non erat realiter in illo subiecto, quod mutatur realiter: sed Petrus mutatur per talem transitum de non esse Patris ad

esse Patris intrinsece: ergo habet nunc de novo realiter aliquid intrinsecum positivum, quod antea non habebat realiter: atqui tale positivum intrinsecum non est aliud, nisi relatio paternitatis, cum non mutetur ad aliud positivum intrinsecum, nisi ad esse Patris, quod formaliter, & essentialiter constituitur per relationem paternitatis: ergo relatio paternitatis datur de novo relatio nunc in Petro generato filio, quæ antea non erat realiter in Petro: ergo evidenter sequitur, relationem paternitatis distinguuntur à parte rei, seu ex natura rei à Petro, qui est fundamentum talis paternitatis: hæc consequentia sic demonstratur, quia id, quod de novo advenit alicui ante talem adventum existentem distinguuntur ex natura rei ab illo, cui advenit; sed relatio paternitatis advenit Petro ante adventum relationis existentem: ergo relatio paternitatis distinguuntur ex natura rei à Petro. Maior est evidens primo, quia idem non potest sibi ipsi realiter advenire; ideo enim lux distinguuntur realiter à pariete, & homine, quia advenit realiter illis; & ideo rationale non potest advenire realiter homini, quia identificatur cum homine: ergo quidquid advenit realiter alteri à parte rei distinguuntur ab illo, cum addatur realiter illi, cui advenit.

Secundo sic probatur, quia quando aliquod prædicatum de novo advenit realiter alicui subiecto existentem ante tale prædicatum sub negatione illius, evidenter sequitur tale subiectum fuisse sine tali prædicato, quando erat sub negatione illius, alias idem esset sub affirmatione, & negatione eiusdem, quod implicat contradictionem; sed illud, quod aliquando realiter est sine alio distinguuntur à parte rei à Petro, & Petrus à relatione paternitatis, quæ fundatur in ipso, quia Petrus existit sine relatione paternitatis sub negatione talis relationis de novo adveniens illi: hæc minor est principium evidens in metaphysica, quia idem non potest esse sine se ipso.

Tertio sic probatur, quia subiectum illud, cui de novo advenit relatio paternitatis prius existit sub negatione paternitatis, quam ipsa paternitas existeret: sed idem non potest prius existeret, quam idem ipsum existat: ergo subiectum illud non est idem cum paternitate à parte rei, sed potius distinguuntur ab illa.

Maior prima, & præcipua sic probatur. Non potest transire aliqua creatura realiter, seu à parte rei de contradictorio negativo ad positivum intrinsecum reale, sine eo quod talis creatura aliter se habeat intrinsece à parte rei nunc, quam antea se habebat; sed mutari intrinsece à parte rei nihil aliud est, quam aliter se habere nunc, ac antea se habebat talis creatura, ut patet ex definitione mutationis, quam tradidit Aristoteles 2. phys. & 3. met. ergo nulla entitas creata potest transire realiter de contradictorio negativo intrinseco in positivum intrinsecum sine mutatione intrinseca illius.

Hæc maior est certa, quia non potest entitas creata transire de negatione ad formam positivam intrinsecam, quin habeat talis entitas per illum transitum intrinsece de novo aliquid positivum, quod antea non habebat; sed habere nunc de novo aliquid positivum intrinsecum, quod antea non habebat, dum erat sub negatione, & non habere negationem, quam antea habebat, est rem

Quaest. II. Vtrum relatio distinguatur, &c. 677

aliter se habere intrinsece, quam antea: ergo non potest transire entitas creata de negativo in positivum intrinsecum realiter sine eo quod talis entitas creata aliter se habeat intrinsece, ac antea se habebat.

51 Verbi gratia, quia aet nunc habet intrinsece lucem à parte rei, quam non habebat hac nocte praeterita, & nunc non habet negationem lucis tenebras nimirum, quas habebat antea realiter, aliter se habet aet nunc, quam antea se habebat realiter: ergo quicquid transit de negatione in positivum intrinsecum, aliter se habet nunc, ac antea se habebat.

52 Haec maior clarissima est, quia non potest creatura transire de vno contradictorio in aliud, sine eo, quod desinat, & destruat contradictorium negativum per adventum contradictorii intrinseci positivi, v.g. non potest Petrus transire de ceco in videntem, nisi destruat cecitas per adventum potentiae visivae; alias si non destrueretur, conservaretur cum altero de novo adveniente contradictorio, ac proinde duo contradictoria simul essent in eodem subiecto: sed destrui in Petro contradictorium negativum per adventum contradictorii positivi intrinseci est dari de novo aliquid intrinsecum positivum, quod antea non erat in Petro, & est Petrum habere illud nunc, quod antea non habebat intrinsece, ergo.

53 Minor prima, & praecipua sic probatur. Non pater aut non esse Patris à parte rei est terminus contradictorius negativus Patris, & esse Patris est terminus contradictorius positivus non Patris; sed Petrus postquam genuit filium, quem antea non genuerat, transit de non Patre ad esse Patris: ergo transit de termino contradictorio negativo in terminum contradictorium positivum realiter. Maior hæc est evidens, quia contradictoria sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem; sed dicere, Petrus est pater huius filij realiter, Petrus non est pater huius filij realiter, sunt affirmatio; & negatio eiusdem de eodem: ergo esse Patris, & non Patris sunt termini contradictorii negativi, & positivi intrinseci.

54 Dixi, intrinseci, quia in sententia Patris Suarez denominatio patris, non est denominatio extrinseca sed intrinseca, ac proinde predicatum Patris in Petro est formalitas intrinsece existens in Petro per identitatem cum ipso; sed quando terminus positivus contradictorius est intrinsecus, etiam negativus est intrinsecus ipsi subiecto, ut videtur esse in luce & non luce, iusto & non iusto: ergo Pater & non pater sunt termini contradictorii intrinseci.

55 Haec minor sic patet, nihil aliud est transire de vno termino ad alium, nisi desinere esse in vno termino, & esse de novo sub alio, aut accedere, seu pervenire ad alium; sed Petrus antequam genuisset, erat in termino negativo patris, quia vere, & realiter non erat pater tunc, & postquam genuit vere filium de novo, desinit esse in termino non pater, & est in termino pater, quia vere est talis: ergo transit de non patre ad esse patris, ac proinde de termino contradictorio negativo in positivum intrinsecum. Maior hæc est evidens. Minor sic demonstratur, quia Christus Dominus in quantum homo non est pater naturalis: alius hominis, ut fide catholica sanctum veneramus, quia nullum hominem genuit Christus in quantum homo, quia ad esse patris necessaria est generatio, v.g. ideo persona prima divina est pa-

ter vere, & realiter, & non est pater tertia persona Trinitatis, nisi quia prima genuit Verbum, tertia autem nihil genuit.

Item Beata Virgo Maria secundum fidem non mater naturalis duorum filiorum, nisi unius solum Iesu Christi videlicet Domini nostri. Vnde asserere, ut aliqui haeretici docuerunt, Beatam Virginem fuisse matrem naturalem duorum, aut plurium filiorum à parte est contra fidem, & ratio est, quia B. Virgo non genuit vere, nisi unicum filium Iesum Christum videlicet, nam ubi non est ratio fundandi non potest dari relatio: sed generatio est ratio formalis fundandi relationem maternitatis, & paternitatis sumpta active generatione, & generatio passiva est ratio fundandi filiationem: ergo antequam detur generatio activa, & passiva in Petro, & in Ioanne non potest dari relatio paternitatis, & filiationis in illis: ergo Petrus antequam generet non potest esse pater, nec Ioannes antequam generetur potest esse filius realiter. Statim autem ac Petrus generat Ioannem, Petrus vere, & realiter est Pater Ioannis, & Ioannes est vere, & realiter filius Petri.

Confirmatur, ideo Deus, & non propter aliam rationem, ut asserunt fere omnes Theologi contra Gaier, ut videre est in P. Suarez. 10. 2. met. disp. 30. sect. 9. transit de contradictorio negativo in positivum intrinsecum, ut de non volente in volente, de non vidente scientia visionis in vidente scientia visionis, de odium non habente in odium habentem, de non vnito intrinsece humanitati sine aliqua mutatione, & additione intrinseca realiter de novo, quia Deus est purus, & infinitus actus, & ut ait P. Suarez num. 40. his verbis, ratio huius mysterij non est alia, nisi summa actualitas divini esse, & infinita eius perfectio, ratione cuius in se præhabet quicquid ad omnem actualitatem necessarium est: unde tota illa perfectio quæ addi singitur per illud additum in ipsa infinita perfectione actualissime continetur; & n. 44. sic ait, loquens de scientia visionis: tertio constat ex dictis, idem proportionaliter dicendum esse de actu divinæ scientiæ respectu earum rerum, seu veritatum quas ex parte earum non necessario repræsentat, ex parte inquam earum, quatenus scilicet illæ possunt esse, & non esse, eo quod contingenter, seu libere fiant, & paulo post; sed ipsamet scientia Dei hanc vim habet ob suam infinitam perfectionem, ut se ipsa, & sine villo reali addito omnia infallibiliter repræsentet. Sic ille. Imo quotiescumque loquitur hic author de hoc transitu reducit hoc negotium totum cum omnibus Theologis in perfectissimum, & infinitum esse Dei, & in summam, puram ac eminentissimam infinitatem Divinæ maiestatis.

Tunc sic. Nulla creatura habet infinitatem, & summam perfectionem actualitatis, ut Deus habet; sed Deus propter illam solam rationem potest transire de contradictorio negativo intrinseco, in positivum intrinsecum sine aliqua mutatione, additione reali, & sine distinctione prædicati positivi ab ipso Deo: ergo creatura nullo modo poterit transire de contradictorio negativo intrinseco in contradictorium positivum realiter intrinsecum, sine illius mutatione, & reali additione intrinseca, ac distinctione à parte rei ipsius à positivo, quod additur in tali transitu; sed creatura quæ antea non erat relata, & nunc de novo est relata per positionem termini de novo transit de contradictorio negativo intrinseco ad contradictorium

intrinsecum positivum relationis : ergo mutatur intrinsece à parte rei per additionem realem relationis supra rem, quæ transit, & per ipsam entitatem relationis distinctam ex natura rei ab ipsa entitate transiente à non relatione ad relationem: quia idem non mutatur à parte rei per seipsum sine distinctione à prædicato per quod mutatur aut per illud, quod secum identificatur à parte rei, neque idem potest sibi ipsi de novo à parte rei advenire, aut sibi ipsi realiter addi, sed necesse est omnino, ut id, per quod mutatur intrinsece aliquod subiectum, & quod de novo advenit aut additur à parte rei, distinguatur ex natura rei ab ipso subiecto, cui advenit : ergo relatio, per quam mutatur immediatum fundamentum, & quæ additur intrinsece, & de novo advenit tali fundamento, distinguitur ex natura rei ab ipso fundamento.

58 Multa poterunt dici ab adversariis, quibus labefactare conentur vim harum rationum, sed quia longissime ponuntur, & diluuntur, oppugnanturque *Sectione sequenti*, illis supersedeo, quæ videri possunt sine ullo Lectoris fastidio.

SECTIO III.

Vbi secunda ratio pro nostra conclusione ponitur.

59 Illa distinguuntur à parte rei, quæ à parte rei separantur; sed relatio, & fundamentum separantur à parte rei : ergo distinguuntur à parte rei : probatur minor. Illa separantur à parte rei quæ ita se habent, ut existente vno non existat aliud; sed existente fundamento à parte rei non existit à parte rei relatio : ergo separantur à parte rei fundamentum, & relatio; probatur minor. Antequam Petrus generet filium, existit tota entitas Petri, & non existit relatio : ergo, &c. Probatur antecedens, & quantum ad primam partem est certissimum, quantum ad secundam vero est manifestum, quia relatio ut relatio, ex eo quod tota eius essentia consistat in puro respectu, non potest existere sine termino, quod adeo verum est, ut in sententia communi, quam defendit P. Franciscus Suarez in *met. disp. 47. sect. 2. n. 13*, adhuc per potentiam Dei absolutam non possit existere sine termino; sed antequam Petrus generet filium, non existit terminus relationis paternitatis : ergo non existit in Petro relatio paternitatis. Item postquam generat Petrus filium in Petro datur relatio paternitatis ad illum, & mortuo tali filio desinit relatio paternitatis in Petro, & minime desinit entitas Petri; sed adhuc mortuo filio, quem genuit, perseverat entitas Petri : ergo ita se habent Petrus, & relatio, ut manente entitate Petri à parte rei, quæ est fundamentum talis relationis, pereat relatio, & non existat : ergo separantur realiter fundamentum, & relatio : ergo distinguuntur à parte rei.

60 Maior prima, & præcipua est evidentissima, & certissima, quia est axioma receptum in metaphysica, & lumini naturali innitens, de quo nullo modo potest dubitari, nam si idem posset separari à se ipso, ea separatione, de qua loquimur, posset simul idem esse, & non esse; nam id quod separatur ab alio existente, non est, quia destruitur, dum separatur, & illud à quo separatur,

est: ergo simul idem est, & non est; sed impossibile est, quod idem simul sit, & non sit, ut ex terminis patet : ergo idem non potest separari à se ipso realiter : ergo ea quæ separantur realiter, distinguuntur realiter.

Dices, destructo termino, vel antequam sit terminus, non esse relationem formaliter, vel quoad formalitatem relationis, esse tamen relationem entitative.

Sed contra, quia per te formalitas relationis deficit à parte rei existente fundamento; sed formalitas relationis non est nihil : ergo aliquid, non rationis, sed reale, non extrinsecum, ut tu asseris, quia per te relatio formaliter non est denominatione extrinseca, sed intrinseca : ergo intrinsecum aliquod reale perit in fundamento percurrente termino : ergo illud est distinctum à fundamento à parte rei; sed illud, quod perit reale intrinsecum, non est absolutum, sed relatio formaliter, si quidem id quod perit, necessario est ad aliud, id est ad terminum : ergo existente absoluto fundamento perit relatio formaliter : ergo relatio formaliter distinguitur ab ipso fundamento.

Deinde, quia non potest perire formalitas realis essentialis alicuius, quin tota illius entitas pereat : v.g. non potest perire rationale hominis, quod est ipsius formale, seu formalitas, nec potest perire compositio, quæ est formalitas compositi, quin pereat totus homo, & totum compositum : ergo si formalitas relationis perit, tota entitas relationis perit : ergo tota entitas relationis non existit existente fundamento : ergo separantur fundamentum, & relatio, ac proinde distinguuntur ex natura rei.

Declaratur, quia id est formale alicuius, vel formalitas illius, quod fuerit essentialis prædicatum respectu illius; sed per vos perit formalitas, seu formale relationis, aut relatio formaliter, destructo termino : ergo perit prædicatum essentialis relationis destructo termino; sed prædicatum essentialis alicuius est idem cum illa re, cuius prædicatum essentialis est, ut videre est in animalibus, quod est prædicatum essentialis hominis, ac proinde est idem cum toto homine : ergo talis formalitas relationis, quæ perit, est idem quod tota relatio : ergo percurrente termino perit tota relatio, siquidem perit id, quod est idem cum ipsa, alias periret, & non periret relatio. Maior illa prima est evidens, quia id est formale respectu alicuius quod convenit illi ex vi definitionis formalis illius, ac formaliter constituit ipsum; ideo enim relatio transcendentalis potentie ad obiectum est formalitas potentie, quia convenit potentie ex vi definitionis formalis eiusdem, & formaliter constituit talem potentiam; sed id, quod convenit alicui ex vi definitionis formalis, convenit illi ex vi definitionis essentialis, & id quod convenit alicui ex vi definitionis essentialis, constituit illud &c. est prædicatum essentialis illius : ergo id est formale, seu formalitas alicuius, quod fuerit prædicatum essentialis illius.

Præterea, ideo percurrente termino, perit illud formale relationis, quia est ad aliud formaliter, & essentialiter, ac proinde specificatur, & dependet essentialiter ab illo alio, quod est terminus, ratione cuius non potest existere sine termino, à quo ne cuius non potest existere sine termino, ut videre est specificatur & dependet essentialiter, ut videre est in vnione, & actione quæ pereunt necessario per reuntibus terminis vnitis, & productis, quia vnio, & actio dependent essentialiter ab illis terminis

Quaest. II. Vtrum relatio distinguatur, &c. 679

sed ipsa relatio quoad essentiam, & existentiam actualement ex eo quod sit purus respectus formalis specificatur, & dependet essentialiter à termino, qui perit: ergo non solum perit formalitas relationis: sed tota essentia, & existentia relationis actualis: ac proinde tota entitas relationis, quæ est idem, quod existentia & essentia actualis illius, quia ubi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis.

66 Vergetur amplius, quia vel illa formalitas, quæ perit pereunte termino est aliquid reale extrinsecum, vel intrinsecum in fundamento; si primum erit terminus, & sic erit idem dicere pereunte termino perire relationem quoad formalitatem, ac dicere, quod destructo termino datur relatio sine termino quod implicat, ut patet ex dictis. Si autem est aliquid intrinsecum reale, ergo destructo termino destruitur aliquid intrinsecum reale in fundamento. De illo intrinsecum quæro, an sit tota essentia relationis, vel pars illius, vel nullo modo pertineat ad illam; si hoc ultimum: ergo impertinens est ad relationem: ergo manet tota relatio sine termino; si autem est pars, vel tota essentia illius: ergo iam destruitur pars, vel tota essentia relationis destructo termino, quia destructa parte essentiali alicuius compositi, destruitur totum compositum, & tota entitas illius: ergo si illa formalitas est pars relationis, & destruitur destructo termino, destruitur etiam tota relatio quoad entitatem, quod intendimus.

67 Deinde, quia dum dicunt perire formaliter relationem, vel dicunt perire formalitatem realem à parte rei, & in hoc sensu urgent argumenta iam dicta, vel solum intendunt dicere, relationem non perire in re ante intellectum: sed solum per rationem eo modo, quo ea, quæ solum distinguuntur per rationem, & non à parte rei, dicantur distingui formaliter, & in hoc sensu est falsa solutio adversariorum, ut patet ex dictis; quia pereunte termino realiter, perit habitudo, & ordinatio generantis ad genitum, cum pereunte genito iam non ordinetur actu, & formaliter, quia talis ordinatio dependet essentialiter non solum per intellectum: sed vere à parte rei à termino actu existente: ergo non solum per intellectum perit relatio, quæ essentialiter est ordinatio: sed etiam à parte rei vere, & realiter, quia pereunte extremo à quo dependet aliquid realiter, necesse est, ut pereat id, quod dependet realiter ab illo: sed relatio non solum per intellectum, sed etiam vere, & realiter specificatur, dependet, & connectitur cum termino: ergo non solum perit per intellectum: sed etiam vere à parte rei.

68 Confirmatur, & est argumentum ad hominem contra P. Suarez. Nam in sententia illius, licet omnipotentia non debeat, nec specificetur essentialiter à creaturis possibilibus: sed solum ex eo, quod connectitur cum illis destrueretur sine dubio omnipotentia ipsa Dei à parte rei non solum quoad formalitatem, sed etiam quoad entitatem destructis creaturis possibilibus; sed ipse Pater Suarez ait, relationem prædicamentalem non solum connecti cum termino actu existente, sed etiam dependere, & specificari essentialiter ab illo: ergo à fortiori destructo termino destruetur relatio, non solum quoad formalitatem: sed quoad totam entitatem: sicut de-

structis creaturis possibilibus destruitur omnipotentia non solum quoad formalitatem: sed etiam quoad totam entitatem, & quoad totum id, quod est idem cum ipsa, ac proinde asserit hic author; destructis possibilibus non solum destrui omnipotentiam, sed etiam destrui ipsum Deum, qui identificatur cum illa: ergo si relatio identificatur cum fundamento, & relatio connectitur cum termino, pereunte termino periret non solum relatio quoad formalitatem: sed etiam quoad entitatem, & quoad omne id, quod identificatur cum illa, hoc est fundamentum; sed pereunte termino non perit fundamentum, & perit relatio, ut dictum est: ergo fundamentum non est idem cum relatione à parte rei: sed potius distinguitur à parte rei ab ipsa.

Respondet P. Smiglesius, quod licet pereat, 69 v. g. relatio similitudinis in vno albo destructo alio sub ratione similitudinis, & sub ratione essentiae respectivæ, tamen totum hoc fit sine vlla destructione relationis, sicut si de novo ponatur aliud album incipit esse similitudo sub ratione similitudinis sine vlla novæ rei additione, ex eo solum quod nunc fundamentum sumitur respectu termini, antea vero sumi non poterat, quia non existeret terminus.

Sed hæc solutio non est minus frivola, quam 70 supradicta; quia si relatio non erat realiter sub ratione essentiae respectivæ, quando non erat terminus: ergo non erat relatio, ut relatio est realiter, quia relatio, ut relatio realiter est essentia respectiva: sed non erat realiter essentia respectiva: ergo non erat realiter relatio, ut relatio, quod intendimus.

Illud autem, quod dicit Smiglesius, videlicet 71 non fuisse relationem, quia non sumebatur fundamentum respectu termini, vel hoc intelligitur, quod non sumebatur ab homine, hoc est quod homo non poterat cognoscere relationem sine termino, & hoc est impertinens, quia hic non loquimur de cognitione hominum: sed de ipsa realitate relationis, vel per illa verba, non sumebatur, intelligitur, quod ipsum fundamentum à parte rei non respiciebat terminum: nec ordinabatur realiter ad illum. Ex quo sequi- 72 tur, quod non existente termino non datur in fundamento actuale, & verum respicere, seu ordinari, aut referri ad terminum; sed respicere, ordinari, & referri actualiter ad terminum est tota essentia, & entitas relationis realiter, & independentem ab omni cognitione; ergo destructo, vel non existente termino, destruitur, vel non existit tota entitas, & essentia relationis in entitate fundamenti, quæ adhuc destructo termino remanet, & existit: ergo separatur realiter tota entitas relationis à tota entitate fundamenti: ergo distinguitur ab illa à parte rei.

Confirmatur, vel essentia relationis quantum 73 ad suam entitatem intrinsecam consistit in illo, sumi, respectu termini, hoc est in puro respectu, vel non? si primum: ergo non existente termino datur purus respectus, & sumi ad terminum, vel respectu termini: patet consequentia, non existente termino datur tota essentia relationis quantum ad intrinsecum, & adequatum esse illius; sed tota essentia relationis quantum ad intrinsecum, & adequatum esse illius est purus respectus, & referri actualiter ad terminum, ac sumi respectu illius: ergo ablato termino datur purus respectus, & actualiter referri ad illum, ac sumi

sumi respectu termini, quod est omnino implicatorium, siquidem ipsi asserunt, relationem adhuc divinitus, & purum respectum non posse existere non existente termino.

74 Si vero essentia relationis non consistit in puro respectu, & in actualiter referri ad terminum, seu in sumi respectu illius quantum ad intrinsecum, & adæquatam esse illius essentialiter: ergo relatio essentialiter non est relatio, & adæquata essentia illius non est purus respectus, sed quid absolute, quia in hoc distinguitur relatio ab absolute, quod absolute non dicit purum respectum, relatio vero illum dicit, & actualiter referri: ergo quando existit relatio quantum ad intrinsecam rationem relationis propter distinctam ab ente absolute existit ut purus respectus, & ut actualiter referri: patet consequentia. Nulla res potest existere sine sua essentia; sed tota essentia adæquata relationis quantum ad entitatem intrinsecam essentialiter illius, & in quantum distinguitur essentialiter ab ente absolute, est purus respectus, & actualiter referri: ergo quotiescunque existit relatio quantum ad suam entitatem intrinsecam, & adæquatam, & ut distinctam essentialiter ab ente absolute, existit purus respectus, & actualiter referri ad aliud; sed non existente termino existit tota essentia relationis quantum ad intrinsecam rationem essentialiter adæquatam illius, & in quantum distinguitur essentialiter ab ente absolute: ergo existit purus respectus, & actualiter referri ad aliud sine termino, quod est absurdum, quod intendimus probare, & negant adversarii, sicut v.g. hæc esset optima argumentatio, quod in Petro esset animal rationale, antequam existeret eius filius tota essentia Petri quantum ad intrinsecam, & essentialiter rationem illius adæquatam, & in quantum distinguitur à bruto essentialiter existit, non existente filio; sed tota essentia Petri quantum ad intrinsecam rationem essentialiter adæquatam illius est animal rationale: ergo non existente filio existit animal rationale, &c. eadem enim est forma argumentationis mutata solum materia.

SVBSECTIO I.

In qua alie solutiones refutantur.

75 Respondent adversarii existere relationem in fundamento (non existente termino) quoad entitatem, non tamen præbere suum effectum formalem fundamento, quia ut illum præbeat, dependet à termino tanquam à conditione necessaria, quæ est quasi dispositio necessaria in subiecto, quod est commune omni formæ, quæ licet sit in aliquo subiecto, non præbet illi suum effectum formalem, nisi sit dispositum, & capax illius.

76 Sed contra primo manifeste: per te in B. Virgine v.g. & in Christo Domino non existente filio genito datur relatio quoad essentiam, & existentiam: sed non dat effectum formalem propter defectum termini, ac proinde Christus in quantum homo non dicitur pater naturalis respectu alicuius hominis, nec Beata Virgo dicitur mater naturalis trium, aut quatuor filiorum.

Ergo vere existit relatio sine termino actuali, etiam si non tribuat suum effectum formalem; sed relatio nullo modo potest existere sine termi-

no; quia non solum dependet essentialiter à termino, ut tribuat suum effectum formalem, sed etiam dependet essentialiter ab illo ut existat ipsa relatio. Unde si non tribuit suum effectum formalem, non existente termino ideo exit, quia non existit relatio. Quia ubi datur eadem ratio formalis, datur idem effectus, vel quasi effectus formalis, sed quia dependet relatio à termino quoad præbendum effectum formalem, non existente termino non potest præbere illum: ergo si dependet non solum quoad hoc, sed etiam quoad propriam existentiam nullo modo poterit existere sine termino. Unde si existit, tribuat suum effectum formalem, & existentia termini non erit conditio ad præbendum talem effectum formalem.

Quod sic demonstratur, quia nihil aliud est effectus formalis, nisi concretum ex forma, & subiecto resultans necessario; sed posita entitate relationis in subiecto, necessario datur concretum ex tali forma relativa, & subiecto: ergo data entitate, & formalitate relationis in fundamento, seu subiecto, necessario datur effectus formalis relationis. Hæc consequentia patet, quia ubi est subiectum, formalitas, & existentia formæ, seu unio formæ ad subiectum effectus formalis, seu concretum; sed ubi concurrunt, & existunt omnia prædicata essentialia alicuius, non potest illo modo etiam divinitus non esse illud cuius sunt prædicata essentialia, v.g. si existat animal, quod est quasi subiectum, & rationale cum sua formalitate unita per identitatem animalem, quæ sunt omnia prædicata essentialia hominis nullo pacto potest adhuc divinitus impediri, quin detur homo, qui est concretum.

Item si anima rationalis, & propria unio illius sit in materia prima, & ipsa materia vere uniat formæ per talem unionem adhuc per potentiam Dei absolutam non potest non esse homo. Clarius: posita paternitatis formalitate in Divinitate unita per identitatem tali paternitati, nullo modo potest non esse pater æternus, qui est concretum ex Divinitate, & paternitate; sed per vos existit entitas fundamenti, non existente termino, & in eo formalitas tota seu tota entitas relationis identificata cum fundamento: ergo non existente termino existit necessario concretum ex tali relatione, & fundamento constitutum; atqui concretum relativum patris, aut filij est effectus formalis relationis paternitatis, aut filiationis: ergo existente tota entitate relationis paternitatis v.g. identificata cum fundamento, necessario dabitur effectus formalis paternitatis, pater nimirum; sed destructo termino, filio nimirum, vel nondum genito illo non est vere pater: ergo evidenter sequitur, destructo termino, non existere formalitatem, & entitatem relationis.

Declaratur, quia concretum, seu effectus formalis nihil aliud est, quam materia, forma, & unio simul sumptæ, ut v.g. homo nihil aliud est, nisi materia prima, forma rationalis, & unio huius ad illam: sed existente formalitate relationis in subiecto, existunt simul relatio, fundamentum, & identitas relationis cum fundamento: ergo existit necessario concretum constitutum ex illis, quia existente eodem non potest non existere idem, alias idem à seipso separaretur realiter, ac proinde distingueretur à seipso, & sic esset, & non esset idem; sed relatio, fundamentum, & unio identifica-

Quaest. II. Vtrum relatio distinguatur, & c. 68 1

ris simul sumpta, & vnita sunt idem, quod concretum, & existunt illa simul: ergo existit concretum; atqui per vos destructo termino non existit concretum: ergo non existunt simul fundamentum, relatio, & identitas relationis ad fundamentum; atqui fundamentum existit, quia mortuo filio, existit substantia Patris: ergo quod vere deficit est relatio identificata cum fundamento per vos, hoc est relatio, quam dicitis, falso identificari cum fundamento.

Dices, existentiam termini esse conditionem necessariam ad effectum formalem, quia deficient deficit effectus.

Sed contra, quia illa conditio non tollit per vos, quin existant simul fundamentum, relatio, & identitas relationis cum fundamento: ergo non tollit defectus conditionis, quin effectus formalis talis relationis, & concretum ex illa constitutum detur, quia quod non tollit id, quod est idem cum aliquo non potest tollere ipsum; si- cut, quia defectus filij non potest tollere ani- mal, & rationale animam rationalem, vnionem, & materiam primam, non potest tollere homi- nem in Petro, v. g. quia idem sunt animal, & rationale, anima rationalis vnio, materia pri- ma, & homo in Petro: è contra vero si defectus filij tolleret in Petro aut vnionem, aut formam rationalem tolleret hominem: sed fundamentum, relatio, & vnio identitatis sunt idem, quod ef- fectus formalis, aut concretum relativum, Pater nimirum: ergo ablato, seu defectu termini, qui non potuit tollere fundamentum, relatio- nem, & identitatem, quæ sunt omnia constitu- tiva essentialia adæquata concreti relativi, seu effectus formalis relationis, imo quæ sunt idem, quod tale concretum, existentibus illis simul sumptis, & vnitis, non poterit tollere ipsum con- cretum identificatum cum illis.

Dices, non omnis forma dat effectum formalem ex eo præcise, quod existat in subiecto, v. g. anima rationalis existit in ossibus, & non facit ossa rationalia.

Sed contra primo; ergo etiam si non præbeat effectum formalem suum specificum, v. g. for- ma paternitatis, licet non constituat patrem for- maliter, nihilominus dabit effectum quasi gene- ricum, scilicet esse relatum; sicut si gratia sit in lapide per potentiam absolutam, licet lapis non denominetur gratus, nihilominus denominatur qualificatus, vel minimum habens gratiam, vt concedunt omnes Theologi: ergo similiter licet Petrus non denominetur Pater, non existente termino denominabitur relatus, vel ad minus denominabitur habens paternitatem, & relatio- nem, & ratio est, quia licet à forma possit se- parari effectus formalis, non tamen sua essentia, exempli ergo, à gratia potest separari effectus formalis scilicet faciens gratum subiectum, non tamen potest separari ab illa, quod sit qualitas supernaturalis, & participatio divinæ naturæ: ergo licet à relatione vt relatio est, separetur ef- fectus formalis illius, scilicet faciens relatum, & patrem, non tamen poterit separari essentia re- lationis; atqui essentia relationis, vt relatio est, est esse ad aliud, & ratio puri respectus: ergo esse ad aliud, & ratio puri respectus non separatur à relatione: ergo non existente termino datur pu- rus respectus, & ratio ad; sed hoc implicat se- cundum adversarios, quia implicat quod detur relatio, & essentia illius sine termino: ergo de-

R. P. Ioseph. de Peñañiel Theol. Schol. Tom. I.

structo termino non datur essentia relationis, quia non datur effectus formalis genericus, ha- bens nimirum relationem; sed datur essentia fun- damenti: ergo relatio non est idem, quod funda- mentum a parte rei.

Declaratur, & confirmatur ipso exemplo, quod per se adducunt adversarij, nam licet ani- mus rationalis existens in ossibus non conferat illis effectum formalem specificum rationalis propter indispositionem subiecti, nihilominus illis confert effectum genericum formalem vi- ventis, quia sunt vere viventia ossa, & habentia vere, & realiter totam animam rationalem, & sic est verum dicere non solum in carne: sed etiam in ossibus est vere, & realiter anima ra- tionalis: ergo similiter licet relatio paternitatis non conferat Petro effectum formalem Patris ex defectu dispositionis, vel conditionis necessa- riæ, nihilominus existit essentia relationis sine termino, quod est maximum absurdum.

Dices, nullum esse inconueniens, quod rela- tio maneat sine termino; sed hoc in sententia P. Suarez non potest dici, imo nec in communi sententia Dialecticorum; omnes enim in hanc veritatem quasi collatis signis conveniunt; vt nulla relatio prædicamentalis actu existat sine actuali termino adhuc divinus; nam vnum ex discriminibus essentialibus, quæ reperiuntur in- ter omnes relationes prædicamentales, & trans- cendentales est quod omnis relatio prædicamen- talis ita petat necessario terminum actu existen- tem, vt nullo modo possit aliqua relatio prædi- camentalis aut esse, aut conservari sine termino actu existente: relationes autem transcendentia- les multæ dantur actu, licet actu non existat ter- minus, vt relatio scientiæ, & potentiæ ad ob- iectum, & relatio accidentis ad substantiam actu datur in accidenti separato per consecrationem in Eucharistia, licet substantia, quæ est termi- nus talis relationis actu non existat: itaque de essentia omnis relationis prædicamentalis est ter- minus actu existens; ex quo sic ipse P. Suarez argumentum conficit ad probandum, non posse villo modo relationem prædicamentalem actu existere sine actuali termino.

Quia nihil potest esse sine illo quod est sibi 73
essentiale, aut de essentia illius, siue intrinsece, siue extrinsece; sed de essentia relationis prædi- camentalis actualis est terminus actu existens, seu actualis: ergo non potest dari actualis rela- tio prædicamentalis sine actuali termino. Ma- ior est evidens, quia homo non potest dari sine rationali, & animali, quæ sunt de essentia ho- minis intrinsece, & actio non potest dari sine agente. Vnde corrupto agente corrumpitur actio, neque vnio potest esse sine partibus actualibus: quia agens, & partes actuales extrinsece sunt essentialia actioni, & vnioni, aut de essentia ex- trinsece illorum. Illa minor sic probatur. Illud quod est specificativum essentialiter alicuius ex- trinsece, est de essentia extrinsece illius respectu cuius specificativum est; sed terminus actualis est specificativus relationis prædicamentalis: ergo terminus actualis extrinsece est de essentia ta- lis relationis.

Item, quia illud sine quo non potest salvari 74
definitio alicuius, ita est necessarium ad essentiam illius, vt non possit salvari talis essentia sine eo: sed sine termino actuali non potest fieri definitio relationis prædicamentalis actu existentis, ac-

R r r r proinde

proinde non potest salvari illa: ergo terminus actualis ita est necessarius ad essentiam relationis prædicamentalis, ut nullo modo possit esse actu sine tali termino. Minor est clara; quia essentia illius consistit in puro respectu ad terminum. Vnde definitio illius sic se habet, necessario est purus respectus ad terminum: ergo necessario terminus ingreditur definitionem essentialem illius, ac proinde non poterit absolvi ab illo definitio essentialis relationis prædicamentalis. Imo si potest fieri ab adversariis aliqua definitio relationis prædicamentalis, in qua non reperiatur necessarius terminus actualis faciant illam, & assignent nobis, quam certe nullo modo assignare possunt: ergo summum absurdum est dicere, posse existere actu relationem prædicamentalem sine actuali termino, quod quia evidentissimum est, non debet longius probari.

75 Secundo contra illam solutionem antea datam efficacius argumentor, & probo cum multis Doctoribus, aut formam non debere dari in subiecto, si est incapax effectus formalis illius, aut si datur, esse etiam subiectum capax effectus formalis talis formæ, ac proinde actu dari talem effectum formalem: nam ubi est totum compositum ex materia, & forma debet dari effectus formalis talis formæ; sed quando datur unio inter subiectum, & formam, & forma vnita subiecto, datur compositum ex subiecto, & ex forma: ergo datur effectus formalis illius. Maior est evidens, quia idem est compositum ex materia, & forma, ac effectus formalis; siquidem compositum constituitur à forma primario: ergo quando datur compositum, datur effectus formalis formæ. Minor illa sic demonstratur primo, quia quando datur modus ultimus, & proprius alicuius debet dari res, cuius est modus: sed quando datur unio formæ respectu materiæ datur compositio, quæ est modus proprius, & ultimus compositi: ergo datur compositum, seu effectus formalis. Maior ista est evidens, quia modus non potest villo modo esse separatus à re cuius est modus adhuc divinitus, in quo distinguitur modus essentialiter à re, ut latissime in metaphysica & alijs locis demonstratur; sed si daretur modus, non existente re cuius est, aut sine re, cuius est modus, separaretur modus à re: ergo nullo modo potest modus alicuius rei esse sine re cuius est modus. Minor illa est clara, quia sicut unio est modus partium vnitarum, ita etiam ipsa unio quatenus est compositio est modus intrinsecus compositi.

76 Secundo, quia impossibile est quod datur proprium, & ultimum constitutivum alicuius formæ supra materiale, & non datur constitutum; sed posita unione inter materiam, & formam datur ultimum, & formale constitutivum proprium compositi supra materiale illius: ergo datur compositum. Minor est certa, quia proprium, & ultimum formale constitutivum compositi est compositio, & materia, & forma sunt quasi materiale respectu illius: sed posita unione formæ ad materiam ponitur compositio (quia idem est compositio, ac unio) supra materiam, & formam: ergo ponitur ultimum formale, ac proprium constitutivum compositi supra materiale illius.

77 Vergetur. Impossibile est, quod datur inter materiam primam, & animam rationalem unio substantialis, quin datur compositio inter illas; & impossibile est, quod existente tali compositione supra ipsas non datur compositum hominis, quia

talis compositio est ultimum, formale, ac proprium constitutivum hominis compositi: ergo impossibile est quod datur ultimum constitutivum formale concreti relativi, quæ est unio inter relationem, & fundamentum, sive per identitatem, sive per inhaerentiam, & quod non datur concretum relativum.

Vnde aut dicendum est, nullo modo posse adhuc divinitus existere gratiam habitualement in lapide, aut si datur capacitas in illo, ut recipiat gratiam per modum formæ, dicendum est dari capacitatem in lapide, ut aliquo modo denominetur sanctus; quare ossa, in quibus est anima rationalis ultimum effectum formalem animæ recipiunt, nam talia ossa rationalia sunt ab anima rationali; quia sicut ipsa ossa sunt humana, quia sunt hominis, ita similiter ipsa sunt ossa rationalia, quia sunt animalis rationalis. Item sicut caro Christi dicitur caro Christiana, & ossa equi equina, ita etiam ossa hominis dicuntur humana, & rationalia: ergo suo modo accipiunt ossa ultimum effectum formalem animæ rationalis: ergo similiter si paternitas, quatenus relatio est, vnitur fundamento, & existit in illo non existente termino, si ne dubio constituit tale fundamentum in esse patris: etsi non constituit, ideo est quia talis relatio non est in fundamento deficiente termino, ex quo sequetur relationem separari à fundamento ex destructione termini, ac proinde distingui ab illo realiter.

Dices, ante existentiam termini, vel post destructionem illius manere totam essentiam relationis in recto significatam, non vero quoad connotatum in obliquo, ut in scientia visionis manet tota essentia scientiæ visionis quantum ad suum esse intrinsecum, & rectum, non tamen quoad connotatum in obliquo; quare etiam si maneat tota entitas scientiæ visionis, non tamen in ratione scientiæ visionis propter defectum connotati in obliquo.

Sed contra, vel illud connotatum est pars relationis, vel non: si est pars relationis: ergo iam relatio includit connotatum; sed connotatum est terminus: ergo relatio includit terminum ut partem constitutivam sui, quod est contra sententiam Patris Suarez, & est incidere in sententiam Durandi. Si illud connotatum non est pars relationis: ergo ante illud connotatum erat tota intrinseca relationis essentia, quia per defectum connotati nulla pars intrinseca illius destruitur: ergo actualiter referebatur ipsa relatio: patet consequentia, essentia relationis est referri actualiter; sed ante connotatum datur tota essentia relationis: ergo datur actualiter referri. Probatur maior, essentia relationis est purus respectus ad aliud; sed purus respectus est actualiter referri ad aliud, & respicere aliud, quia alias haberet aliam essentiam præter hoc, quod est respicere aliud: ergo &c. sed ablato termino datur tota essentia relationis, ut relatio est quantum ad esse essentialē, & intrinsecum illius: ergo datur referri actualiter, & per consequens purus respectus, ac proinde relatio, ut relatio est sine termino; sed hoc implicat, ut iam diximus: ergo in illo casu non datur relatio, & datur fundamentum: ergo distinguuntur.

Confirmatur. Mortuo filio videt Deus in Petro id, quod antea videbat; sed antea videbat paternitatem in Petro: ergo etiam videt illam paternitatem in Petro. Patet consequentia, scientia visionis mortui filii. Patet consequentia, scientia visionis Dei non desinit terminari ad obiectum, & cognoscere

noscere illud, quandiu remanet entitas intrinseca, & essentialis obiecti; sed relatio paternitatis est obiectum scientiae visionis, & illa remanet secundum adversarios mortuo filio secundum suum esse essentiali intrinsecum adaequatum, & totale: ergo mortuo filio videt Deus relationem paternitatis existentem sine termino: ergo videt respicientiam actualem, & actualiter referri sine termino actuali, & actualiter existente: sed hoc est implicatorium: ergo non videt Deus relationem, quantum ad actualiter referri, & quantum ad rationem puri respectus, quae est essentia adaequata relationis: ergo non datur relatio. Pater consequentia, quando non videt Deus aliquid à parte rei, quia scientiam infinitam Dei nihil potest fugere ex ijs, quae sunt à parte rei: sed Deus non videt illam relationem destructo termino, vel non existente illo, quantum ad essentiali intrinsecum, & adaequatum esse relationis: ergo non datur illa relatio quantum ad essentiali intrinsecum, & adaequatum esse illius: ergo esse intrinsecum essentiali, & adaequatum relationis distinguitur à fundamento, siquidem existente illo non existit relatio à parte rei.

82. Exemplum autem scientiae visionis divinae non venit ad rem, & potius est contra ipsos adversarios, quia ideo scientia visionis sine mutatione Dei, & sine distinctione ab entitate ipsius præbet ipsi Deo varias illas denominationes, quia est infinita in ratione perfectionis, & consistit in summa actualitate cum infinita eminentia, & æquivalentia infinitarum rerum creaturarum; sed entitas creata est finita, & limitata, & omnino immersa potentialitate sine vlla eminentia purae actualitatis: ergo non poterit præbere eidem subiecto diversas illas denominationes intrinsecas patris non patris, relati non relati sine mutatione sui.

83. Neque exempla vlla divina, quae involvunt infinitatem summam, possunt favere adversariis, neque ex illis potest fieri argumentatio, quae probentur similia mysteria in creatis, alias posset aliquis sic argumentari, in Deo datur Trinitas personarum cum unitate essentiae, & distinctio realis inter relationes cum identitate earundem relationum: ergo etiam poterit simile mysterium reperiri in creaturis; irrationalis enim esset talis argumentatio: ergo similiter est inepta argumentatio à scientia divina, vel à modo se habendi illius circa Deum, & ab actibus liberis ad hoc ut adversarii probent eodem modo se posse habere aliquam formalitatem creatam respectu creaturae, quia illi actus sunt multo difficilius intellectu adhuc quam mysterium Trinitatis; vel minimum æque difficiles ac illud mysterium: ergo sicut hi acriter invehuntur in eos, qui dicunt posse in creaturis reperiri aliquid simile mysterio Trinitatis, imo sentent eos in fide errare, & ut minimum evertere omnem bonam philosophiam, ex eo quod ex infinita perfectione Dei ad creaturas tali perfectione carentes argumentari conentur, potiri sane iure possumus nos in adversarios invehi, qui in creatis aliquid omnino simile scientiae Dei infinitae, & actibus liberis volunt admittere, ut scilicet eadem omnino formalitas sine vlla sui variatione, & mutatione intrinseca per solam variationem extrinseci termini possit esse nunc intrinsece volens, aut non volens, intrinsece similis, aut non similis; quod in Deo non con-

R. P. I. deph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. I.

cedimus, nisi coacti fide, quapropter ipse Pater Suarez id præcise concedit in prædicatis liberis Dei, ut sunt decreta, & scientia visionis, non vero in alijs perfectionibus necessarijs contra Patrem Vasquez id extendentem etiam ad omnipotentiam, & scientiam necessariam: quod si extensio facta à Vasquez est probabilis, ideo est, quia reperit in omnipotentia Dei eandem infinitatem, ac est ea quae reperitur in decretis, & scientia visionis.

Verum eam difficultatem transferre ad creaturas omnino est chimericum, & funditus evertens omnem bonam philosophiam: eodem enim modo ego possem dicere solam animam rationalem esse hominem intrinsece connotando materiam, & unionem ut pure terminos, ac proinde etiam si anima maneat perente unionem, non manere hominem quoad connotatum, seu denominationem, manere tamen quoad intrinsecum, & essentiali esse hominis, admissa autem doctrina horum recentiorum, nequit efficaciter impugnari. Item quantitatem esse intrinsece substantiam dum connotat carentiam subiecti, in quo sit; esse vero accidens, dum connotat subiectum in quo sit; & alia plura pugnantia aperte cum sana philosophia, quae tamen evidenter inferuntur ex impugnata sententia.

Adde, neque in ipsis actibus liberis Dei admitti posse huiusmodi connotata, quia antecedenter ad illa intelliguntur ipsi actus liberi, etiam in ratione denominationis sunt enim causae creaturarum; ideo enim existit creatura, quia Deus vult illam existere, non è contra, ideo vult Deus, quia illa existit: ergo ante connotata est iam voluntas libera Dei; quo autem pacto explicandi sunt huiusmodi actus liberi, late tracto materia de prædestinatione disp. 2. de causis, vel quasi causis prædestinationis, q. 6. sect. 1. & ult.

Confirmatur, quia vel ut aliqua entitas det diversas denominationes intrinsecas sine mutatione sui necessario requiritur summa actualitas, & infinita perfectio, vel non requiritur: si primum: ergo nulla entitas creata poterit illas præbere sine mutatione sui intrinseca; cum omnis entitas creata sit finita, & limitata. Si vero non requiritur, contra est primo: ergo non ideo Deus potest velle & non velle scire & non scire sine mutatione sui intrinseca; quia est infinitus, ut vos dicitis: secundo, ergo etiam poterit dici, quod homo per eundem actum intellectus sine vlla mutatione, & additione intrinseca intelligit Ioannem nunc, & postea non intelligit ipsum; pater consequentia. Eadem entitas finita potest præbere diversas denominationes intrinsecas relati, non relati, sine mutatione sui intrinseca: ergo idem actus intellectus potest dare denominationes intelligentis, & non intelligentis hoc & illud obiectum: probatur antecedens. Eadem albedo quae est entitas finita potest præbere posito alio albo denominationes similis, & destructo non similis: ergo eadem entitas finita, &c. Imo non solum idem actus intellectus creati: sed etiam ipsissimus intellectus poterit præbere illas diversas denominationes intrinsecas, videlicet non solum potentis intelligere: sed etiam actu intelligentis, & non intelligentis sine mutatione sui, & per consequens superfluum erit actus intellectus distinctus realiter ab ipso intellectu; sed hoc non potest fieri per solam mutationem extrinsecam: ergo nec potest

R r r r 2 f i e r t

fieri quod eadem entitas creata per solam mutationem extrinsecam termini denominet intrinsece relatum, non relatum, &c.

85 Dices, pereunte termino, non solum deficere connotatum: sed etiam connotationem ad terminum, quia relatio nihil aliud est, nisi entitas fundamenti connotando terminum.

86 Contra primo totum fundamentum, & entitas eius est nunc, adhuc destructo termino, quare ergo nunc non connotat, & antea connotabat intrinsece à parte rei: ergo aliquid ablatum est: ratione cuius formaliter connotabat, & in esse connotantis intrinsece constituebatur: de illo igitur, quo constituebatur intrinsece in esse connotantis interrogo, an sit tota relatio, vel pars relationis; vel talis connotatio non pertinet ad relationem; si tota relatio: ergo tota relatio deficit pereunte termino; siquidem deficit tota connotatio, quæ est tota relatio. Si pars relationis essentialiter: ergo saltem distinguatur relatio per illam partem ex natura rei à fundamento distinctione includentis ab incluso (quod minime concedunt adversarij) cum relatio includat essentialiter, ut partes fundamentum, & connotationem quam minime includit fundamentum ut sic.

87 Deinde; quia ideo deficit connotatio, quia est tota ad aliud, & dependet essentialiter à termino: sed etiam tota essentia relationis per Patrem Suarez dependet, specificatur, & connectitur cum termino, & est ad aliud, cum tota essentia relationis sit purus respectus ad terminum: ergo non solum connotatio, quæ est pars relationis; sed etiam tota relatio destruitur destructo termino, siquidem in tota relatione datur eadem ratio formalis, propter quam destructo termino destruitur connotatio, quia ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis.

88 Præterea, quia ex hac solutione sequitur, relationem non esse adæquate relationem, neque adæquate purum respectum; sed potius esse mixtum quid ex absoluto, & relativo, quod sic demonstratur. Nam illud est absolutum, quod non dependet à termino, ac proinde destructo termino, non destruitur, & ideo dicitis, connotationem relationis destrui destructo termino, quia talis connotatio dependet à termino, & est purus respectus, & adæquate est ad aliud, ac proinde minime est absolutum quid; sed in relatione datur aliquid tanquam pars illius, quod cum connotatione componit adæquatam relationem, quod minime dependet à termino actu existente, ac proinde destructo termino, non destruitur; sed permanet eodem modo ac antequam destrueretur terminus: ergo datur aliquid in relatione, quod sit absolutum; ac proinde tota relatio prædicamentalis formalis componetur ex absoluto, & respectivo, & sic adæquate non erit purus respectus; sed mixtum ex absoluto, & respectivo quod est inaudium, & contra ipsos adversarios.

89 Si autem connotatio ad relationem non pertinet, ergo impertinens est recurrere ad connotationem, cum hic non loquamur, nisi de entitate relationis.

90 Secundo contra, quia si connotatio, quæ est pars totius relationis, destruitur, destructo termino, destruetur sine dubio, & tolletur tota re-

latio & non destruitur entitas fundamenti: ergo relatio distinguitur ab entitate fundamenti. Maior sic probatur. Quia impossibile est quod destruat aliquam partem intrinsece constitutiva essentialiter alicuius totius, & quod non destruat totum, v. g. impossibile est, quod destruat anima equi, & non destruat totus equus; ergo si connotatio destruitur, quæ est pars constitutiva relationis essentialiter, necessario destruetur tota relatio, quæ essentialiter constituitur ab illa.

Vergetur efficacius, quia connotatio non est pars relationis; sed potius est tota entitas, essentia, & existentia relationis: ergo si destructo termino destruitur connotatio, destruetur sine dubio tota essentia, entitas, & existentia relationis. Antecedens sic probatur. Quia cui soli convenit tota definitio alicuius soli, illi convenit tota essentia ipsius, v. g. quia compositio ex anima rationali, & corpore soli competit tota definitio hominis, illi convenit soli tota essentia illius; unde solum totum illud compositum vult, & proprie est homo; sed soli connotationi convenit in fundamento tota definitio relationis: ergo soli illi convenit in fundamento tota essentia relationis. Minor hæc sic probatur. Quia definitio relationis prædicamentalis est hæc, cuius totum suum esse habet in ordine ad terminum: sed hæc definitio tota convenit soli connotationi ex his, quæ sunt in fundamento, cum sola illa habeat totum suum esse in ordine ad terminum: ergo illi soli convenit tota definitio relationis. Hæc minor sic probatur, sola connotatio ex ijs, quæ sunt in fundamento est ita dependens à termino, ut specificetur ab illo, & ablato termino auferatur illa necessario, imo nullo modo potest adhuc divinitus intelligi, & esse sine termino; ergo sola illa habet totum suum esse in ordine ad terminum, quia habere totum suum esse in ordine ad illum est ita habere, ut dependeat, specificetur, & nullo modo possit aut esse, aut intelligi sine termino; fundamentum autem, & cætera, quæ in illo sunt, conservantur absolute sine termino actuali, & non dependent ab illo, nec possunt dici, quod in sua cognitione, & in sua conservatione connectantur cum termino: ergo illa non habet totum suum esse ad terminum actualiter: sed potius ex se sunt absoluta, alias si totum suum esse haberent in ordine ad terminum, non possent dari actualiter sine termino actuali: v. g. quia actio actualis habet totum suum esse in ordine ad terminum productum actuale, & quia vñio habet totum suum esse in ordine ad res unitas actualiter existentes, neque vñio potest esse sine partibus actualiter existentibus, neque actio sine termino actualiter producta; sed cætera præter connotationem conservantur, & sunt sine termino actuali; connotatio autem nullo modo potest aut esse, aut intelligi sine termino: ergo sola connotatio habet totum suum esse in ordine ad terminum, ac proinde sola connotatio erit relatio: sed ablato termino auferuntur connotatio: ergo auferuntur relatio; ergo relatio distinguitur à fundamento.

Quæst. II. Vtrum relatio distinguatur, &c. 685

SVBSECTIO II.

In qua alie Neotericorum solutiones refutantur.

- 92 Respondent alij, destructo termino, non destrui relationem quoad intrinsecum, sed quod extrinsecum, & hæc solutio maxime celebratur ab adversarijs.
- 93 Sed contra primo, illud extrinsecum in relatione paternitatis, v. g. est terminus illius: ergo vel terminus pertinet ad essentiam relationis, vt constitutum illius, vel non pertinet: sed non primum, nec secundum obstat: ergo nulla est solutio. Probat minor quantum ad primam partem. Si terminus esset constitutum essentiale relationis, relatio non esset omnino intrinseca in fundamento, sed partim intrinseca, & partim extrinseca, quæ est sententia Durandi, quam *quæst. sequenti* impugnabimus; atqui hoc repugnat in sententia adversarij, quam modo impugnamus: ergo terminus non constituit relationem essentialiter, tanquam pars essentialis illius: ergo tota essentia relationis est illud intrinsecum, quod est in Petro: ergo pereunte filio, vel antequam filium generet Petrus, est tota essentia intrinseca relationis, vt relatio est in illo; sed tota essentia intrinseca relationis, vt relatio est, in quantum ad æquitate distinguitur à termino, & ab ente absoluto est purus respectus, & ratio ad: ergo purus respectus, & ratio ad terminum potest existere sine termino: sed hoc est contra ipsos adversarijs, vt patet ex dictis: ergo destructo termino, vel antequam sit terminus non est purus respectus, & ratio ad in fundamento: ergo destructa relatione quoad extrinsecum destruitur etiam, & non est quoad intrinsecum, scilicet quoad esse relationis prædicamentalis puri respectus, & rationis ad; consequentia illa, videlicet quod relatio supposito eo, quod diximus, possit existere sine termino, patet quia relatio est solum illud intrinsecum, quod est in Petro identificatum per vos cum Petro: sed remanet totum illud intrinsecum, quod est in Petro identificatum cum ipso, non existente filio: ergo remanet tota relatio, quatenus relatio; sed tunc non existit terminus: ergo relatio potest existere sine termino; sed summum absurdum est in vestra sententia, quod relatio prædicamentalis existat sine termino: ergo destructo filio, vel antequam sit filius, non est relatio in Petro existente ipso Petro: ergo Petrus, & relatio distinguuntur.
- 94 Contra secundo, & probo esse maxime frivolam hanc solutionem, quia quando respondes destructo termino, destruitur relatio quoad extrinsecum, vel non manet relatio quoad extrinsecum, idem dicis, ac si diceres, destructo termino destruitur terminus, & non manente termino, non manet terminus, quod ridiculum est; quis enim de hoc dubitat: sicut si tu diceres, destructo homine destruitur homo; vnde in suo robore manet vis argumenti, neque illi adhibetur solutio in re, sed solum clusio vocabulorum: nam ego sic vrgo adversarios: relatio quoad suam essentiam, & quoad intrinsecum habet totum suum esse in ordine ad extrinsecum terminum; sicut actio in ordine ad terminum productum per illam, & eo modo quo vnio habet totum suum esse in ordine ad partes unitas, dependendo ab illis essentialiter

ex vi specificationis essentialis propria; sed destructo extremo, à quo aliquid dependet essentialiter, & à quo specificatur, & cum quo necessario, & essentialiter connectitur, destruitur id, quod dependet, specificatur, & connectitur necessario quatenus connectitur: ergo destructo extrinseco termino relationis prædicamentalis, destruitur relatio in eo esse, & secundum illud esse, in quo dependet, specificatur à termino extrinseco, & connectitur necessario cum illo; atqui relatio non dependet essentialiter, neque specificatur à termino extrinseco quoad terminum extrinsecum, sed potius quoad esse intrinsecum essentiali relationis: ergo quoad esse intrinsecum essentiali relationis destruitur relatio, destructo termino extrinseco, & non solum quoad extrinsecum terminum.

Minor hæc quoad primam partem sic probatur manifeste: quia idem non dependet à se ipso, neque specificatur à seipso; omnis enim vera, & realis dependentia à parte rei debet esse ab alio; sed si relatio dependeret ab extrinseco termino quoad extrinsecum, idem dependeret à seipso, quia esse extrinsecum relationis, est ipsum esse extrinsecum extremum, quod vocatur terminus relationis, seu est ipse terminus, quia nullum aliud esse extrinsecum habet relatio, nisi ipsum terminum: ergo relatio non dependet à termino extrinseco quoad extrinsecum esse relationis; quia idem dependeret à seipso: v. g. si potentia visiva dependeret ab obiecto quoad esse extrinsecum potentie visivæ, dependeret esse obiecti ab ipso obiecto; quia nullum aliud esse extrinsecum habet potentia visiva, nisi esse obiecti. Minor quoad secundam partem est manifesta ex ipsis adversarijs, quia secundum ipsos, & secundum ipsam veritatem esse intrinsecum essentiali relationis est purus respectus quatenus talis, & est ratio ad formalissimæ sed purus respectus quatenus talis, & ratio ad formalissimæ dependet, specificatur essentialiter à termino, & essentialiter connectitur cum ipso: ergo esse intrinsecum relationis, seu relatio quoad esse intrinsecum dependet, specificatur, & connectitur essentialiter cum termino.

Vrgetur, & declaratur hoc totum: quia vnio quo 95 ad suum esse intrinsecum dependet essentialiter à partibus unitis, & actio habet totum suum esse intrinsecum in ordine ad terminum productum destructo termino productum, & partibus unitis vnio, & actio non solum destruiuntur quoad terminum productum, & quoad partes unitas, sed etiam quoad esse intrinsecum actionis, & vnionis.

Item, quia dies, sive lux diffusa per aërem huius 96 emisferij dependet extrinsece à sole, quia dependet tanquam à causa efficiente per actionem transeuntem ab illo, destructo sole, vel non præsentem sole in hoc Emisferio, vt de re est dum movetur ad Antipodas deferendo nos, destruitur lux, & dies, non solum quoad extrinsecum à quo dependent, sed etiam quoad intrinsecum esse lucis, & dici, quod dependet ab illo extrinseco.

Item efficacius, & ad hominem: ex eo solum 97 quod omnipotentia in sententia Patris Suarez connectitur necessario cum creaturis possibilibus, tanquam cum obiectis extrinsecis eiusdem omnipotentie; destructis creaturis possibilibus extrinsecis omnipotentie, non solum destruitur omnipotentia quoad extrinsecum, sed etiam quoad intrinsecum esse omnipotentie. Vnde si solum pos-

R r r r 3 seg

set Pater Suarez, respondere Patri Vasquez vrgenti destructis creaturis possibilibus solum destrui omnipotentiam quoad extrinsecum, id est quoad solas creaturas posibles, sine dubio concederet intentum Patri Vasquez probantis destructis creaturis possibilibus, nihil intrinsecum omnipotentiam tolli, sed potius manere omnipotentiam quoad totum suum esse intrinsecum, quod docere non vult Pater Suarez, & tota ratio illius est, quia non potest intelligere hic auctor, quod destructo aliquo extrinsecum, à quo dependet aliqua res quoad intrinsecum, non destruat talis res dependens quoad intrinsecum esse: ergo si relatio per vos dependet vere, & realiter specificatur essentialiter ab extrinsecum termino, & connectitur necessario cum illo quoad proprium esse intrinsecum destructo illo extrinsecum termino, destruetur sine dubio relatio quoad intrinsecum esse relationis; imo si non destruetur, non dependebit, neque specificabitur, aut connectetur essentialiter cum termino, & absolute poterit relatio, vt relatio esse sine termino, quod minime conceditis, sed potius oppugnatissimè, alias non esset relatio nec purus respectus, nec ratio ad formaliter.

98 Ergo sicut esset frivola responsio in vestra sententia, destructis creaturis possibilibus, destructis partibus vnitis termino producto per actionem sole conservante lucem, & diem, destrui omnipotentiam, vnionem, actionem, & lucem, non quoad intrinsecum, sed quoad extrinsecum, quia illa non quoad extrinsecum, sed potius quoad intrinsecum dependet ab illis extrinsecis destructis; ita similiter erit ridiculum respondere, ablato termino, aufertur relatio, quoad extrinsecum, & non quoad intrinsecum, & ratio quare hæc responsio esset inepta, est, quia dependet relatio, & specificatur essentialiter à termino, & connectitur necessario cum illo quoad intrinsecum esse relationis.

99 Dices, relationem definire solum esse ablato termino quoad denominationem, & non quoad entitatem.

100 Sed contra manifeste, quia denominatio in ratione denominationis à parte rei realiter est ens reale; sed perit in ratione denominationis: ergo perit in ratione entis; sicut si homo v.g. perit in ratione hominis, perit etiam in ratione entis realis, quia à parte rei realiter in ratione hominis est ens reale: ergo si perit relatio quoad denominationem, vel denominatio realiter in ratione denominationis, peribit realiter in ratione entis, & non in ratione entis extrinseci; quia denominatio est omnino intrinseca realis: ergo aliquid reale perit intrinsecum in Petro, mortuo eius filio, quia perit denominatio, quæ est aliquid intrinsecum reale.

101 Confirmatur, denominatio in ratione denominationis, vel est idem realiter à parte rei, cum entitate reali Petri, vel non est idem realiter cum illa à parte: si non est idem realiter: ergo denominatio distinguitur realiter ab entitate reali Petri; si non distinguitur: ergo destructa denominatione, destruetur entitas Petri. Probatur consequentia, si non destrueretur entitas Petri, destructa denominatione de eodem subiecto verificaretur duo contradictoria: ergo &c. Probatur Antecedens: denominatio in ratione denominationis non existit realiter, & existit in ratione entitatis; sed denominatio, & entitas sunt idem rea-

liter: ergo idem realiter existit, & non existit; sed existere, & non existere sunt duo contradictoria: ergo de eodem subiecto realiter verificantur duo contradictoria.

Confirmatur secundo, denominatio in ratione denominationis non existit realiter, non existente termino, & existit realiter in ratione entitatis: ergo in ratione denominationis distinguitur realiter à ratione entitatis. Antecedens conceditur ab adversariis, est enim illorum solutio: consequentia est manifesta; ea quæ separantur realiter, distinguuntur realiter; sed denominatio in ratione denominationis separatur realiter ab entitate in ratione entitatis, quia existit vnum sine alio: ergo distinguuntur realiter. Tunc sic argumentor, vel illa denominatio in ratione denominationis est tota relatio vt relatio est, vel aliquid illius essentialiale intrinsecum; vel non pertinet ad illam intrinsecum: si est tota relatio: ergo iam tota relatio distinguitur à fundamento, quia denominatio vt denominatio est, distinguitur à fundamento, quia denominatio vt denominatio est, separatur à fundamento; & si non est tota relatio, sed aliquid illius intrinsecum, & essentialiale: ergo relatio saltem inæquate distinctione includentis ab inclusio distinguitur realiter à suo fundamento, quod etiam negant adversarij, imo destruetur tota relatio, vt subsectione superiori probavimus, quia destructo vno constitutivo, destruitur realiter totum constitutum, vt destructa sola vnione, destruitur totus homo: ergo dicendum est ultimum.

Tunc sic: ergo impertinens est ad relationem illa denominatio in ratione denominationis: ergo pereunte denominatione, manet tota entitas relationis, & essentia intrinseca illius, quatenus relatio est; sed relatio, vt relatio est purus respectus, & ratio ad: ergo ablata denominatione, & termino, datur purus respectus, & ratio ad: ergo datur relatio, vt relatio est sine termino, quod est absurdum.

Contra efficacius secundo, quia quando dicunt adversarij, deficere relationem quoad denominationem, vel loquuntur de nomine, ita vt solum deficiat nomen relationis, vel loquuntur de obiecto talis nominis: si deficit obiectum: ergo entitas relationis deficit realiter, quia obiectum nominis relationis, v.g. paternitatis est ipsa entitas paternitatis, sicut si destruitur obiectum denominationis homo, destruitur necessario entitas hominis, & ideo nullo modo potest destrui obiectum huius nominis Deus, quia tale obiectum est entitas Dei, quæ est omnino indestructibilis: nullum enim potest assignari obiectum nominis, nisi ipsa res significata per ipsum nomen, seu denominationem; unde si destruitur obiectum denominationis nempe, unde si destruitur obiectum, destruetur ipsa paternitatis, destructo termino, destruetur ipsa entitas relationis, quæ significatur per tale nomen, ac proinde distinguitur talis relatio, quæ destruitur ab entitate Petri, quæ non destruitur, sed durat, adhuc destructo termino.

Si autem adversarij loquuntur, quando dicunt deficere relationem, quoad denominationem, non de obiecto talis denominationis, sed de solo nomine, & voce, per quam significamus relationem, ita vt pereunte termino, sola pereat ipsa vox: ergo sicut antea erat Petrus pater in re antecedenter ad vocem, & independentem ab illa, ita etiam postea vere erit pater, quantumvis à nobis non vocetur pater: sicut vere essent similia duo alba existentia, quantumvis non esset possibilis vllus intellectus,

Quæst. II. Vtrum relatio distinguatur, &c. 687

tellectus, vel vlla vox, à qua dicerentur similia, & minimum destructo termino, & destructa voce, perseveraret sine dubio relatio, vt relatio à parte rei, ac proinde existeret relatio à parte rei sine termino, quod omnino negatur aduersarij: ergo.

106 Item, quia vbi est vere, & realiter essentia alicuius, possumus vere loqui de illa, præcipue cum non sit ineffabilis talis essentia, vt est essentia Dei, & potest denominari illa, seu potius sine dubio illi poterunt applicari nomina ad ipsam significandam inventa, vt sunt nomina, seu denominationes relationis paternitatis, similitudinis, &c. & sic frivolum est dicere, destrui tale nomen, non destructo obiecto; sed potius existente illo; quis enim vnquam dixit, non destructo homine, destrui nomen ipsius, seu vivente homine non posse nos de illo loqui: ergo si non est destructa entitas relationis, & formalitas illius, quæ est obiectum denominationis non erit destructa denominatio, seu nomen, & vox, per quam possumus loqui de tali obiecto existente, & non destructo, & dicere cum veritate, in Petro datur paternitas, & in pariete datur similitudo, & Petrus à paternitate est Pater, & paries à similitudine est similis: sicut si albedo non est destructa in pariete, non est destructum nomen, per quod possumus ipsam nominare, & de illa vt sic existente in pariete, & de concreto constituto per illam, & per parietem loqui dicendo; hic paries vere est albus ab albedine vere existente in illo: vnde si non possumus loqui cum veritate dicendo, hic paries est albus ab albedine, non est solum, quia deficit nomen: sed quia deficit albedo in pariete; sed destructo termino, non possumus dicere, Petrus est relatus: ergo ideo est hoc, quia non solum deficit nomen: sed quia deficit relatio in Petro quoad entitatem intrinsecam: ergo relatio distinguitur à Petro.

107 Urgetur, quia destructo termino per vos, album illud, quod antea denominabatur simile, non denominatur nunc simile: sed denominatio realis non potest definere, nisi deficiente forma reali: sicut non potest de novo dari denominatio realis, siue extrinseca, siue intrinseca sine nova forma reali, siue intrinseca, siue extrinseca: ergo falsum est dicere, quod destructo termino solum destruat denominatio, & ratio à priori evidens est, quia tales denominationes non sunt merè liberæ, & voluntariæ, nec ad libitum positi, sed ideo sunt, quia obiectum illarum est à parte rei, & non è contra ideo est obiectum à parte rei, quia sunt tales denominationes; hoc enim esset, vt dici solet, Isteron, Proteron committere, & ideo si non datur tale obiectum, nullo modo potest dari talis denominatio, v. g. quia Spiritus Sanctus non constituit paternitatem, nec in se habet paternitatem, non potest vocari pater, & quia Christus vt homo non habet paternitatem respectu alicuius hominis, non est, nec vocatur pater naturalis alienius hominis, &c.

108 Explicatur hoc amplius, quia hæc vox, actio, non significat effectum: sed productionem ipsius effectus, quæ respicit essentialiter, & connotat ipsum effectum, si per impossibile maneret productio sine effectu, adhuc illa diceretur actio: ergo denominatio realis non potest definere, nisi definiente re, cuius est denominatio.

Secunda pars illius minoris est certa ex supra- dictis de actibus liberis.

Eandem partem declaro amplius: non minus est de essentia denominationis intrinseca entitas intrinseca, quam de essentia denominationis realis entitas realis: ergo non minus repugnabit nova denominatio intrinseca sine nova entitate intrinseca, quam nova denominatio realis sine nova entitate reali; quia tam repugnat nova entitas intrinseca sine nova entitate intrinseca, quam nova entitas realis sine nova entitate reali; sed omnino implicat in creatura dati novam denominationem realem sine entitate reali de novo, siue extrinseca, siue intrinseca, ac proinde implicat quod ex vi alicuius formalitatis, aut entis rationis de novo detur de novo aliqua denominatio realis. Vnde per relationem paternitatis, quæ per rationem fingeretur de novo in Petro, non posset dici Petrus de novo vere, & realiter pater. Vnde si aliquis hæreticus fingeret quartam personam in Deo, non ideo posset dici vere, & realiter in Deo dati quaternitatem personarum: ergo omnino etiam implicat dari denominationem de novo realem intrinsecam sine entitate intrinseca de novo reali.

Exemplis hoc evidenter declaratur: non potest vilo modo voluntas hominis denominari de novo amans actu sine nova entitate de novo adita actu intrinsece realiter supra voluntatem, quia denominatio amantis actu est denominatio realis intrinseca actualis, & è contra non potest eadem voluntas, quæ nunc denominabatur actu intrinsece volens realiter, de novo denominari non volens intrinsece realiter, nisi per destructionem de novo entitatis realis intrinsece, & per additionem de novo negationis realis intrinsece, & idem est de denominatione lucidi in aere, & denominatione tenebrosi intrinsece in eodem: ergo nullo modo potest definere, aut advenire de novo aliqua denominatio intrinseca realis sine eo, quod definat formalitas intrinseca à parte rei, quæ est obiectum talis denominationis, & est forma, vel quasi forma, quæ constituit intrinsece in esse talis realiter, ratione cuius resultat talis denominatio: ergo si posito de novo termino datur nova denominatio intrinseca paternitatis in Petro, & destructo termino, definit de novo intrinseca denominatio paternitatis in ipso, sine dubio posito termino, ponitur intrinsece de novo relatio paternitatis, & destructo termino de novo destruitur realiter intrinseca entitas paternitatis.

Dices, hoc argumentum nihil probare; sicut, 110 v. g. si quis vellet demonstrare, ex eo quod homo formaliter dicit animam, & corpus non posse de novo existere hominem, nisi de novo existat anima, & corpus non recte argueret, sufficit enim si de novo existat vnio: ergo licet denominatio intrinseca dicat entitatem intrinsecam, non sequitur ex eo quod existat de novo denominatio intrinseca, debere de novo existere entitatem intrinsecam; quia sufficit existere de novo aliquam entitatem, licet non intrinsecam.

Sed contra primo, quia licet non valeat argumentatio ab existentia nova alienius ad novam existentiam omnium partium, vt in exemplo de homine nuper ablato constat, valet tamen ad novam existentiam totius quatenus totum est, & illius qui solum dicitur homo, ac proinde obiecti talis denominationis, quatenus obiectum

obiectum illius est, quod patet evidenter in tuo exemplo: nam denominatio, quæ de novo ponitur, v. g. quando ego dico, nunc est homo, non est denominatio corporis, & animæ sed potius denominatio totius hominis: & ideo licet non ponantur de novo corpus, & anima, debet de novo esse intrinsece totus homo, quatenus totus, quia totus homo quatenus totus est obiectum talis denominationis de novo resultantis, & non potest poni denominatio, quin ponatur obiectum, quatenus obiectum talis denominationis intrinsece: sed posito termino de novo ponitur de novo denominatio duplex, alia positionis termini quæ est extrinseca respectu fundamenti, alia intrinseca respectu fundamenti, scilicet denominatio patris, aut paternitatis: ergo de novo debet poni duo extrinsecum nimirum respectu fundamenti, quod est ipse terminus, & intrinsecum respectu illius, scilicet paternitas, vel esse patris de novo, quod etiam ex tuo exemplo sic demonstro: licet de novo non ponatur corpus, nec ponatur animus in resurrectione v. g. mortuorum, nihilominus quia ponuntur duo de novo, quæ distinguuntur distinctione includentis ab inclusio, v. nio nimirum substantialis hominis, & totus homo resultans ex illa quatenus totus, necessario ponuntur duæ denominationes de novo intrinsece, alia vnionis, alia totius hominis, & e contra à posteriori evidenter colligimus, quando dantur duæ denominationes de novo veræ intrinsece, & reales, videlicet nunc est vnio, nunc est homo, dari intrinsece vtrumque obiectum talium denominationum de novo, hominem nimirum, & vnionem; quod etiam clarius patet; nam quando dantur de novo hæc duæ denominationes, nunc de novo est visum obiectum, nunc de novo videt potentiam, de novo debet dari, & visio extrinseca respectu obiecti, & visio intrinseca respectu potentiae; nec sufficit, quod solum de novo detur extrinsecum obiectum ad hoc, vt resultet hæc denominatio, v. g. intellectus intelligit hoc obiectum, sed necesse est, vt ponatur obiectum extrinsecum, & cognitio intrinseca in intellectu; unde profalissimo ab omnibus habetur, quod possit de novo potentia denominati cognoscens intrinsece obiectum per positionem extrinsecam solius obiecti, aut alterius extrinseci: & ratio est manifesta propter mutuam connexionem inter denominationem, & obiectum, & propter limitationem creaturæ, quæ non potest transire de novo de vna denominatione ad aliam, nisi per additionem formæ, aut obiecti talis denominationis, siue intrinsece, siue extrinsece, eo modo, quo fuerit denominatio: quare si datur denominatio intrinseca de novo, debet dari de novo entitas intrinseca, & si datur duplex denominatio de novo, debet dari de novo obiectum vtriusque denominationis eo modo, quo fuerint tales denominationes: ergo si posito termino de novo, datur de novo duplex denominatio, alia positionis termini, alia relationis, quæ est intrinseca in fundamento: ergo dabitur necessario, & relatio de novo intrinsece in fundamento, & terminus extrinsecus quoad propriam entitatem.

¶ Vrgo: quia dum ponitur illa denominatio, v. g. homo, necessario ponitur de novo saltem aliquod intrinsecum constitutivum partiale hominis, v. nio videlicet: ergo similiter, quando de novo ponitur denominatio paternitatis, debet dari saltem aliquod partiale intrinsecum constitutivum

talis relationis, ac proinde tota relatio distinguitur à fundamento à parte rei, saltem distinctione includentis ab inclusio, ratione illius additi intrinseci partialis, quod supra fundamentum ponitur de novo ad constituendam relationem, ac proinde relatio non erit idem adæquate cum fundamento.

Secundo contra: quia licet non valeat consequentia à nova existentia non definiti, ad definitionem, v. g. à nova existentia totius ad existentiam novam partium seorsim, valet tamen ab existentia nova definiti ad novam existentiam definitionis; quia à definitione ad definitum ubique valet consequentia: sed definitum, scilicet denominatio intrinseca existit de novo, vel perit de novo: ergo existit, vel perit de novo eius definitio quæ est entitas realis intrinseca. Deinde, quia entitas realis intrinseca non est pars denominationis intrinsece, sed formalissime est ipsa entitas intrinseca: ergo recte valet consequentia ab existentia nova vnus ad existentiam novam alterius: ergo implicat perire denominationem intrinsecam, manente tota entitate intrinseca, quæ est ipsa denominatio. Vnde dicendum sine dubio est perire denominationem, perire etiam ipsam entitatem formæ, quod sic.

Manifeste demonstro: quia si propter aliquam rationem destrueretur denominatio patris, destructo termino, maxime quia est denominatio relativa, & quia tota est ad terminum essentialiter; nam si non esset denominatio relativa, nisi absoluta, nullo modo petiret perire terminus, & ideo non perit denominatio substantiæ, hominis, & Petri, perire terminus genito à Petro, quia tales denominationes sunt absolutæ, & non relativæ; sed ipsa entitas relationis est relativa essentialiter per sua prædicata essentialia, & ideo in abstracto dicitur relatio purus respectus, seu referri ad terminum: ergo à fortiori perire terminus, debet perire talis entitas relationis, & si non destruitur, destructo termino, à fortiori non destruitur ipsa denominatio, quatenus distinguitur ab ipsa relatione; siquidem non est in ordine ad terminum per se, & propter se, ac proinde non est ipsa essentialiter relatio, sed solum vocatur relativa, quia est denominatio, seu nomen impossibile ad significandam relationem. Vnde non est ita relativa essentialiter, vt est ipsa relatio; sed potius participat in hoc suum esse ab ipsa relatione, & ipsum esse relativum habet ab imponentibus tale nomen.

Vnde si illud, propter quod tale nomen est relativum non destruitur destructo termino, cum magis strictius, & essentialius dependeat à termino, & habeat suum esse ad illud quam nomen, aut denominatio multo minus destruitur illud nomen, quod non ita strictè, & rigorose, seu essentialiter dependet à termino, destructo illo.

Et è contra: si denominatio, quæ totum esse denominationis relativæ habet à relatione, & dependentiam à termino habet propter relationem, destruitur, destructo termino ex vi solius talis dependentiæ participat à relatione, & propter relationem à fortiori, & magis, vt ita dicam de relationem à fortiori, & magis dependet, magis essentialiter est relativa ad terminum, siquidem non participative formaliter, sed essentialiter à se, & ex vi propriæ essentiae, quatenus est forma est relativa, seu relatio, & dependentia, seu purus respectus ad terminum) destructo termino: quia propter

Quæst. II. Vtrum relatio distinguatur, &c. 689

propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

116 Vnde minimum, aut vtrumque debet destrui, aut vtrumque non destrui, sed per te ablato termino, non perit aliquid intrinsecum, nec quod pertinet formaliter, etiam inadæquate ad rationem, & essentiam relationis paternitatis; ergo etiam ablato termino, manet denominatio paternitatis: ergo modo Petrus est pater actualis omnium filiorum possibilium, quod est absurdum, & contra tuam doctrinam: probo sequelam: quia modo Petrus habet in se formaliter, & intrinsece totum illud, per quod postea dicitur pater; ergo etiam modo debet ab illo dici pater.

117 Dices, modo habere id totum, per quod postea dicitur pater in esse entitatis, non vero in esse denominationis.

118 Sed contra hanc solutionem redeunt omnia argumenta super facta eidenter, & nunc sic eam labefacto probando, esse manifestam petitionem principij, quia ego probo eo ipso, quod habeat Petrus totam entitatem paternitatis, debere denominari similem; tu vero respondes, non dicendum, quia licet habeat totam entitatem in esse paternitatis, non tamen denominatur, id est non dicitur similis: sunt enim synonyma, non tamen in esse denominationis, non tamen denominatur pater, non tamen dicitur pater: vide ergo quomodo respondeas, non dicitur pater, quia non denominatur pater, idem per idem.

119 Dices, ablato filio non potest dari nomen patris, quia nos non possumus cognoscere patrem, & relationem paternitatis, nisi detur filius.

120 Sed contra, quia saltem respectu Dei non valet hæc distinctio: ergo solutio est nulla: probatur antecedens, Deus est infinitus ratione cognoscentis: ergo vel cognoscit Petrum, ut patrem quantum ad essentiam totalem paternitatis, antequam generet filium, vel non cognoscit: si non cognoscit: ergo non est pater, nec paternitas quantum ad intrinsecam, & totalem essentiam paternitatis: ergo non datur paternitas: ergo neque relatio: ergo mortuo filio v. g. non solum destruitur nomen patris, sed etiam res significata per nomen.

121 Si cognoscit, mortuo filio esse vere, & actualiter Petrum patrem, vere erit pater, ex eo enim quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa: ergo sine termino est relatio actualis prædicamentalis, quod est absurdum, & contra vestram sententiam.

122 Vltimo probo falsam esse hanc solutionem, quia ex vi illius destruantur omnes modi distincti à rebus: nam si probemus, quod vno distinguitur à partibus, quia separatur ab illis, potest responderi, quod separatur quantum ad denominationem, non vero quantum ad entitatem intrinsecam, & eodem modo potest negari distinctio actionis, & distinctio cuiuslibet entitatis modalis. Imo aliquis hac solutione posset defendere, intellectum actuale, quæ relatio transcendentalis est ad obiectum, non distinguitur ab ipso intellectu, quia si probarem, intellectum separari ab intellectu, posset dici separari quoad denominationem, non quoad formalitatem intellectus: sed hanc solutionem irriterent in hoc, & in illis casibus: ergo irritanda est in casu relationis, quia non datur maior ratio vnius, quam alterius.

R. P. Alph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

Alij respondent, ablato termino, definire relationem quoad respicere, & quoad habitudinem, seu quoad referri ad terminum.

Sed contra primo: ergo in tua sententia dicitur tota relatio, quia tota essentia, & existentia relationis per te consistit in actu respicere, & actu referre, quod his verbis asserit P. Suarez 2. tom. metaph. disp. 47. num. 9. vltimo vero obijci potest, quia si relatio in abstracto consideretur, ut est forma quædam referens subiectum, vel fundamentum ad terminum, sic non est de ratione eius, ut actu referat, sed ut sit apta referre.

Respondetur, falsum esse antecedens; nam res non constituitur apta referri per relationem ut sic; sed per fundamentum proximum relationis: proprius autem effectus formalis relationis est actu referre, alias nec distingueretur etiam secundum rationem formalem à fundamento, nec requireretur coexistentiam termini, nec vere diceretur totum esse eius positum esse in respectu, seu respicere ad aliud, & paulo post sic ait: nunquam potest esse actu relatio, quin actu referat ad aliud. Vnde impossibile est concipere relationem, quin concipiatur actu referens: sic formalissime P. Suarez a num. 9. usque ad 13. ubi diluens, aut explodens solutionem adversariorum dicentium, essentiam relationis esse totam, non in actu respicere, sed in aptitudine ad respiciendum, respondet absolute, & probat efficaciter relationem prædicamentalem non esse posse referre, seu respicere; sed actu ordinari, actu respicere, & actu referre, sed per te destructo termino, destruitur habitudo, actu respicere, actu referri, & ordinari ad terminum, quæ est tota essentia relationis; ergo destructo termino, destruitur tota entitas relationis.

Contra secundo, quia illud respicere, quod deficit in relatione, pereunte termino, & per quod completur relatio, vel est terminus solus, vel est entitas fundamenti solus, vel aliquid, quod nec sit terminus, nec fundamentum à parte rei; sed medium inter vtrumque, per te non est terminus solus, alias incideres in sententiam Durandi, & incideres etiam in solutionem iam late refutatam supra, videlicet, pereunte termino, perit relatio quoad extrinsecum, &c. Vnde refutandas esses omnibus argumentis, quibus illa solutio in principio huius subsectionionis refutata, & labefactata manet.

Neque respicere est entitas fundamenti solus, scilicet substantia Petri, qui respicit filium per tale respicere, quia pereunte termino, tota entitas fundamenti manet, & non manet illud respicere per vos; ergo illud respicere, quod deficit, est aliquid distinctum à fundamento, & termino; sed in eo respicere consistit formalitas relationis; cum per hoc adæquate fundamentum referatur ad terminum, & sine hoc licet detur tota entitas fundamenti non referatur adæquate ad illud; ergo formalitas relationis, vel adæquate, vel minimum inadæquate distinguitur à parte rei à suo fundamento.

Contra tertio, quia ablato respicere, seu ablata habitudine ad terminum ex fundamento, nihil est in fundamento, quod possit esse relatio; ergo ablato respicere, & ablata habitudine, auferitur tota relatio. Antecedens sic patet, quia tota essentia relationis in hoc consistit, quod sit ordo ad terminum, respectus ad illum, & quod habeat totum suum esse ad illum, sed ablato respicere,

§ § § § §

picere, & ablata habitudine nihil est in fundamento, quod sit ordo ad terminum, & quod habeat suum esse ad terminum: ergo ablato respicere, &c. Minor hæc sic patet, quia illud, quod remanet in fundamento ablato termino, non est in ordine ad terminum, nec habet totum suum esse ad illum; imo est, & vere concipitur, & conservatur sine termino, & sic non dependet ab illo, sed ordo ad terminum, vel ens, quod totum suum esse habet ad terminum, non potest villo modo dari sine termino: ergo ablato respicere, & ablata habitudine, nihil est in fundamento, quod sit ordo ad terminum, &c.

129 Declaratur, quia nihil aliud est relatio, nisi respectus purus ad terminum: atque respectus purus ad terminum est pure respicere terminum, synonyma enim sunt hæc duo, & sic idem formalissime, quod significamus per nomen puri respectus, significamus per infinitivum verbi *respicio*, ut *respicere* videlicet: ergo si ablato termino, auferatur pure respicere, auferetur etiam purus respectus, ac proinde auferetur sine dubio relatio prædicamentalis ad terminum.

130 Dices, deficiente termino, non deficere relationem quoad entitatem, quia relatio non solum est entitas fundamenti quomodocunque, sed entitas fundamenti posito termino, vel existente illo.

131 Contra manifeste, quia vel *in existente termino* intrat entitatem relationis complendo, & componendo ipsam, vel non intrat? si primum: ergo relatio non est solum fundamentum, vel aliquid intrinsecum in fundamento, sed etiam terminus existens, ita ut relatio formaliter coalescat ex entitate fundamenti, & ex entitate termini, & sic relatio formalissime terminus, & fundamentum simul, quod est incidere in sententiam Durandi, quæ aperte adversatur sententiæ Patris Suarez, ut patet ex supradictis; nam dicere relationem esse fundamentum, existente termino formaliter, nihil aliud est, quam dicere relationem esse coexistentiam duorum vel duas entitates coexistentes; atque huiusmodi constitutio relationis non admittitur ab adversariis, quibuscum pugnamus, sed potius est impertinens ad eorum sententiam: ergo non est dicendum primum, scilicet *ly existente termino*, intrare constitutionem formalem relationis; si secundum.

132 Ergo tota entitas relationis solum sita est in entitate fundamenti: sed entitas fundamenti non est fundamentum existente termino: ergo relatio non est entitas fundamenti existente termino, supposito, quod intrinsece entitas relationis non est nisi entitas fundamenti.

133 Deinde, quia si *ly existente termino* non componit relationem, sed se habet extra relationem, interrogo, an relatio quæ solum se habet ex parte fundamenti dependeat à termino existente, vel non dependeat necessario, & essentialiter, sed possit esse necessario, aut non necessario conservari, aut concipi sine termino: si hoc secundum dicas, minime pertinebit terminus existens ad relationem, ac proinde non erit bona definitio relationis, est entitas fundamenti existens inter terminum, quia id, quod non pertinet villo modo ad essentiam alicuius, minime debet poni, neque in recto, neque in obliquo in definitione essentiali illius; sed ad essentiam paternitatis, v.g. vel cuiuscunque relationis nullo modo pertinet, ac proinde est impertinens terminus existens: ergo nullo modo debet

poni in definitione essentiali relationis, dicendo in obliquo, relatio est entitas fundamenti existente termino, qui est casus obliquus ablativus scilicet.

Item, quia definitio essentialis solum admittit ea, quæ essentialia sunt respectu definiti, sive extrinsece, sive intrinsece, ita ut quæ ponuntur in recto pertineant ad essentiam definiti constitutendo formaliter, & intrinsece ipsum, tanquam constitutivum, aut completivum essentia illius formaliter. Ea autem, quæ in obliquo ponuntur in definitione alicuius, sunt extrinsece essentialia respectu definiti; vocantur extrinsece essentialia, quia non componunt, constituunt, aut complent formaliter essentiam definiti, sed ita sunt necessaria ad essentiam definiti, ut tale definitum nullo modo, etiam divinitus possit esse, aut conservari sine eo, quod extrinsece essentialia dicitur: quia definitum essentialiter dependet, & specificatur à tali extrinsece essentiali: v.g. hæc est essentialis definitio animæ: est actus corporis physici, &c. sive est actus transcendentaliter, & essentialiter ordinatus ad informandum corpus; ubi prædicata illa actus ordinatus ponuntur in recto in definitione formæ, quia constituunt, & complent formaliter intrinsece essentiam illius: illa autem, corporis physici, &c. seu ad informandum corpus, ponuntur solum in obliquo, quia non constituunt, & componunt intrinsece formam, sed sunt essentialia extrinsece respectu illius, quia specificant ordinem essentialem illius, sine quibus nullo modo potest intelligi, aut esse essentia formæ, & idem est de definitione unionis substantialis, quæ sic se habet, est vinculum substantiale duarum partium substantialium; ubi partes substantiales ponuntur in obliquo, quia non constituunt formaliter ipsam unionem sed sunt ita necessaria ad esse conservari, & concipi perfecte unionis, ut nullo modo possit existere unio substantialis, quin actu existant partes substantiales, vnde, quod etiam contingit in termino producto respectu actionis.

Tunc sic per vos hæc est definitio essentialis relationis; est entitas fundamenti existente termino, ubi duo reperiuntur, aliud in recto, aliud in obliquo, entitas fundamenti in recto, id est nominandi casu: ergo entitas fundamenti solum formaliter constituit ipsam relationem, seu est formalissime ipsa relatio: terminus existens ponitur in obliquo, id est in auferendi casu: ergo non pertinet ad constitutionem formalem intrinsecam relationis, quia si sic pertineret, in recto deberet poni: ergo tota essentia relationis intrinsece, & formaliter salvatur sine termino existente, concedis.

Nunc interrogo, an saltem terminus existens pertineat ad relationem extrinsece essentialiter, vel non eo modo, quo iam explicuimus exemplis partium substantialium respectu unionis, terminum producti respectu actionis, quod etiam explicatur exemplo obiecti intelligibilis respectu intellectus, obiecti visibilis respectu visus, quæ ita necessario requiruntur, ut si nullum esset intelligibile, & visibile eo modo, quibus terminant relationem transcendentalem visus, & intellectus, nullo modo darentur adhuc divinitus intellectus, & visio si non pertinet extrinsece essentialiter: ergo neque in recto, neque in obliquo debet poni terminus existens in definitione relationis: vnde mala erit illa definitio: relatio est entitas

fundamenti existente termino. Deinde evidenter colligitur, posse dari relationem sine termino existente, quia bene potest dari res sine eo, quod nullo modo pertinet ad ipsam essentialiter, aut intrinsicè aut extrinsicè, saltem divinitus vel saltem conceptibiliter; sed vos negatis adhuc divinitus posse existere relationem prædicamentalem, aut concipi sine termino actuali: ergo quod antea affirmabatis, nunc negatis.

137 Si autem pertineat essentialiter saltem extrinsicè terminus existens ad relationem: ergo relatio dependet essentialiter à termino existente, sicut vno dependet à partibus, & actio à termino producto, &c. ergo destructo termino nullo modo potest existere relatio, sed necessario debet petire statim, ita ut non existente termino realiter, non existat relatio villo modo; sicut non existente termino producto, nullo modo existit actio, quæ producit illum; sed adhuc non existente termino existit entitas fundamenti, substantia nimirum Petri, quantitas, & qualitas illius: ergo relatio à parte rei non est entitas fundamenti, posito termino, sed potius erit entitas puri respectus seu ordo ad terminum distinctus ex natura rei ab entitate fundamenti.

138 Dices, poni in definitione illam particulam existentem termino, quia licet terminus existens non sit essentialis extrinsicè respectu relationis, est tamen conditio necessaria essentialis ad relationem, eo modo quo intellectio est conditio necessaria essentialis ad amorem actualiter existendum. Unde si saltem non esset conditio essentialis ad relationem, nullo modo poneretur in definitione relationis.

139 Sed contra primo, quia nulla conditio ponitur in definitione essentiali descripti, ut videre est in definitione amoris, ubi non ponitur intellectio, sed solum id, quod aut essentialiter intrinsicè, aut essentialiter extrinsicè pertinet ad relationem, ut videre est in hac definitione; amor est actus vitalis, quo voluntas profectur, & amat obiectum amabile. Item in sententia probabiliori, approximatio agentis ad passum est conditio essentialis ad productionem, ut late demonstrat *libris de generat.* & in nullius sententia ingreditur definitionem essentialem productionis: ergo si terminus existens solum est conditio ad relationem, nullo modo debet poni adhuc in obliquo in definitione illius.

140 Secundo contra, & magis ad nostrum intentum: per vos terminus existens est conditio essentialis, & necessaria ad existentiam, & conservationem relationis; sed nullo modo potest existere res adhuc divinitus sine conditione essentialiter necessaria, & sic per vos nullo modo potest existere adhuc divinitus amor actualis sine intellectione actuali, & in mea sententia productio sine approximatione agentis ad passum: ergo nullo modo potest existere adhuc divinitus relatio, entitas, & formalitas relationis de facto sine termino existente; sed necessarium est, ut pereat relatio pereunte termino; sed entitas fundamenti existit sine termino, & non perit, pereunte termino: ergo à parte rei entitas fundamenti non est relatio, sed potius distinguitur à parte rei à relatione: quia quando vnum existit à parte rei non existente alio, separantur à parte rei, & distinguuntur; sed non existente termino, non existit à parte rei relatio, & existit entitas fundamenti à parte rei: ergo separantur, & distinguuntur à parte rei. *R.P. Ildeph. de Peñafiel Theol. Schol. Tom. I.*

te rei entitas fundamenti, & relatio, & illa non est hæc à parte rei.

SECTIO IV.

Tertia, quarta, quinta, & sexta ratio ponuntur pro nostra conclusione.

Tertio principaliter sic argumentor: Illud, quod supponit à parte rei substantiam iam constitutam in suo esse adæquate distinguitur à parte rei ab illa: sed paternitas, v. g. supponit substantiam Petri à parte rei iam adæquate constitutam in suo esse: ergo à parte rei paternitas distinguitur à substantia Petri, & idem est de relatione identitatis inter substantiam Petri, & Pauli.

Maiores sic probatur. Ideo intellectio distinguitur à parte rei à substantia hominis, Petri videlicet, & à substantia animæ rationalis Petri, quia intellectio supponit à parte rei substantiam Petri adæquate constitutam. Item omne accidens, quod vere, & realiter est tale, physice, & non solum prædicamentaliter, distinguitur à parte rei ab ipsa substantia, quia accedit ad substantiam à parte rei iam constitutam adæquate in suo esse (ab accedendo enim realiter entitati constitutæ dicitur realiter accedens) ac proinde supponit à parte rei substantiam, cui accedit in suo esse substantiali constitutam, & ratio est manifesta: quia id, quod supponit aliud iam constitutum, ante existentiam, & adventum suum est posterius à parte rei illo, quod supponit constitutum, & sic intellectio est posterior à parte rei ipsa substantia animæ, & substantia est prior realiter accidentibus, quæ sunt posteriora realiter substantia, quia supponunt substantiam à parte rei; sed prius, & posterius distinguuntur à parte rei, quia prius refertur ad posterius, & posterius ad prius, ita ut prius sit terminus relationis posterioris, & posterius terminus relationis prioris; sed relativum distinguitur à parte rei à termino: ergo posterius à priori, & id quod supponitur ab eo, quod illud supponit.

Minor præcipua, in qua est difficultas, sic probatur. Illud supponit entitatem alicuius constitutam, quod advenit illi iam præexistenti; sed relatio paternitatis advenit Petro iam præexistenti, si quidem advenit Petro ex vi productionis filij, ita ut aut simul adveniat Petro, quando producit filium, aut posterius filio adveniat ipsi; sed ante productionem filij, & ante adventum illius existit Petrus, quia causa semper existit ante effectum, saltem prioritate naturæ: ergo Petrus existit ante adventum relationis, ac proinde præexistit adventui illius, quod idem est, ac advenire Petro iam præexistenti: ergo relatio supponit Petrum iam constitutum in suo esse substantiali. Illa minor est manifesta ex supradictis *sectione superiori*, nam relatio dependet omnino à termino, & sic nullo modo potest dari sine termino: nam si posset dari sine illo, non relatio, sed absolutum esset: ergo non est relatio in Petro paternitatis, nec advenit illi, nisi per adventum filij producti à Petro, & donec Petrus existat. Itaque ad hoc ut Petrus sit pater, debet producere filium, quia productio est ratio essentialis fundandi relationem, sine qua nullo modo relatio secundi generis potest dari, ut patet ex dictis supra; sed antequam

SSSS 2 producat

producat illum, debet supponi constitutus in suo esse substantiali; cum unumquodque prius sit in ordine ad se, quam ad aliud, & prius est in se, quam se alteri communicet per actionem, & sic priusquam Petrus producat filium, debet habere essentiam, existentiam, & supposititalitatem, quia actiones sunt suppositorum, id est oriuntur à suppositis ut talibus; sed ante supposititalitatem debet esse Petrus essentialiter, & existentialiter adæquate completus in esse naturæ, quia supposititalitas est terminus naturæ complete substantialis, ac proinde advenit Petro completo in esse naturæ: ergo de primo ad ultimum antequam Petrus sit pater, debet esse necessario constitutus in esse substantiali adæquate; nam antequam producat debet esse constitutus adæquate usque ad supposititalitatem, & antequam sit pater, debet producere, & ideo est vera hæc causalis, ideo est pater, quia produxit filium; contra vero hæc est falsa, ideo producit filium, quia est pater: ergo si Petrus est complete constitutus ante productionem filii, & ante producit quam sit pater, aliqua saltem prioritate naturæ: ergo necessario dicendum est antequam sit pater, esse constitutum adæquate in esse substantiali.

144 Secundo probatur illa minor præcipua. Illud supponit entitatem alicuius constitutam quod convenit illi, & non constituit ipsum in suo esse primario; sed paternitas convenit Petro, & non constituit substantiam Petri in esse hominis, aut Petri, quod est esse primarium illius; alias Petrus, qui non habet filium, & non est pater, nec esset homo, nec Petrus quod est absurdum: ergo paternitas supponit substantiam Petri adæquate constitutam in suo esse substantiali. Maior est certa, minor sic probatur; quia substantia adæquata Petri, & habet constitutiva physica substantia adæquate, quæ sunt hæc materia, hæc forma, & hæc unio existentes; sed paternitas nec est materia, nec forma, nec unio substantialis Petri: ergo physice non constituit Petrum.

145 Et habet constitutiva metaphysica adæquate, videlicet prædicata essentialia, ut animal, homo, &c. sed paternitas non est prædicatum essentialiale Petri, alias Petrus pater distingueretur essentialiter à Paulo non patre; cum in Petro detur prædicatum essentialiale, quod non datur in Paulo, aut est individuatio Petri, & hoc non quia paternitas in Petro supponit iam individuum Petrum, quia ut sit pater, debet esse substantia individua, ex eo quod ut sit pater, debet producere, & ut producat, debet esse individuum. Item individuatio contrahit hominem: sed paternitas non contrahit illum: ergo paternitas non est individuatio Petri. Præterea, quia Petrus semper est individuum; atqui Petrus aliquando est pater, aliquando non est pater, quia aliquando habet filium, aliquando non, & forte nunquam est pater, quia nunquam habet filium: ergo non est idem in Petro esse patrem, ac esse individuum, nec individuatio est paternitas.

146 Urgetur evidenti: quia in hoc distinguitur pater æternus à creatis patribus, quod de substantia patris æterni est sua paternitas, & constituitur, ac distinguitur substantialiter per illam à filio, seu Verbo divino, pater autem creatus non constituitur per paternitatem creatam in suo esse substantiali, & personali; ex alio capite pater æternus non potest intelligi in suo esse personali, ac substantiali adæquate, & complete constitutus sine paternitate, nec distinctus substantialiter ab

alia persona sine illa, quia paternitas divina est personalitas, ac supposititalitas patris æterni; hoc discrimen tribuunt a parte D. Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 3. D. Ambrosius lib. 1. de fide ad Grafi. cap. 2. D. Fulgent. lib. 1. de fide ad Petrum. D. Atha. & Concilium Tolet. XI. cum multis alijs Concilijs, & communiter admittitur à Theologis: ergo paternitas supponit constitutam adæquate, & complete substantiam Petri in suo esse substantiali, ita ut distinguatur persona Petri à qualibet persona humana sine paternitate, quia paternitas creata non est ita perfecta, sicut paternitas Divina, ut possit esse, aut de essentia, aut de substantia Petri, qui denominatur pater: ergo paternitas, aut identitas advenit Petro à parte rei præexistenti, & antea constituto: ergo accedit à parte rei entitati substantiali Petri complete, & adæquate constitutæ: ergo non est substantia Petri, sed vera, & proprie accedens à parte rei: ergo distinguitur à substantia illius.

Quod amplius sic demonstro: à parte rei de 147 pendet essentialiter, & specificatur, seu connectitur necessario cum termino genito paternitas Petri: sed substantia Petri non dependet à parte rei, nec specificatur, nec connectitur necessario cum termino genito: ergo substantia Petri, & paternitas illius non sunt idem, sed potius distinguuntur à parte rei: hæc consequentia sic demonstratur. Ideo evidenter colligimus unionem animæ rationalis ad corpus non esse idem cum animo rationali, sed distingui ex natura rei ab illo, quia unio dependet à corpore à parte rei, & animus rationalis non dependet; unio educitur à parte rei ex materia prima, & animus rationalis non educitur; sed relatio paternitatis, quæ est in Petro dependet à parte rei à filio genito à Petro, & connectitur necessario cum illo, & substantia Petri non dependet ab illo, nec connectitur necessario cum illo: ergo sicut unio distinguitur ex natura rei ab animo rationali propter illam dependentiam, quam non habet animus, ita relatio paternitatis ad filium distinguitur ex natura rei à substantia Petri propter dependentiam, quam à parte rei habet relatio, quam non habet à parte rei substantia Petri à filio, quia ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis; impossibile enim est, quod idem sit, & non sit simul: ergo impossibile est quod idem sit dependens, & non dependens simul respectu eiusdem termini: ergo si relatio dependet, & Petrus non dependet à filio, Petrus & relatio paternitatis non erunt idem à parte rei.

SVBSECTIO I.

In qua quarto probatur nostra conclusio.

148 Probo nunc, relationem esse denominationem extrinsecam suppositis responsionibus adversariarum; quod est maximum inconveniens in sententia Patris Suarez, ac proinde illud reiicit acerrime.

149 Illa est denominatio extrinseca omnino, quæ advenit de novo subiecto sine aliqua intrinseca formalitate, quæ de novo advenit respectu denominati à parte rei per solam positionem extrinsecam; sed denominatio, v.g. Patris advenit de novo Petro sine aliqua ratione intrinseca de novo realiter illi adveniente per solam positionem extrinsecam.

Quæst. II. Vtrum relatio distinguatur, &c. 693

trinfeci termini, filij nimirum: ergo paternitas est denominatio extrinseca in Petro. Maior est evidens, nam ideo esse visum in obiecto, esse amatum & intellectum actu sunt denominationes extrinsece, & ideo est de esse dextro, quia adveniunt de novo obiecto sine aliquo intrinseco de novo illi adveniente per solam positionem visionis, intellectionis, &c. quæ extrinseca sunt respectu obiecti: ergo illa est denominatio extrinseca, &c. minor prima est ipsa sententia adversariorum; nam ex eo solum quod producat filius, vel producat in mundo aliquod album de novo, sine eo quod Deus aliquid ponat intrinsecum in Patre, & in albo, antea existenti ille dicitur pater, & hoc dicitur simile: ergo sine aliqua additione intrinseca de novo in fundamento per solam positionem extrinsece denominatur fundamentum simile, & pater; in quo non est multum laborandum, cum ipsi adversarii id concedant, alias si aliquid de novo intrinsecum adderetur, posito de novo termino, ratione cuius denominaretur Petrus pater, esset sine dubio illud intrinsece additum ex natura rei distinctum ab ipso fundamento; siquidem antea erat fundamentum sine hoc addito: atqui illud additum esset obiectum talis denominationis, & ratio formalis propter quam tale fundamentum vocatur pater, aut simile: ergo sicut ipsa denominatio est relativa, & in ordine ad terminum, talis formalitas addita intrinsece de novo erit relativa formaliter, seu ipsa relatio, quia sicut est denominatio est ratio formalis denominandi: ergo relatio distinguetur à parte rei à fundamento.

150 Et si dicas, illam esse denominationem extrinsecam quæ solum sumitur ab extrinseca forma: cum autem denominatio relationis non sumatur à termino extrinseco tanquam à forma: sed ab ipsa entitate fundamenti, quæ intrinseca est, existendo solum terminus tanquam conditio denominationis, inde est quod denominatio relativi non sit denominatio extrinseca.

151 Contra, quia denominatio relationis est in genere causæ formalis, ac proinde debet esse à forma: sed fundamentum non est forma relationis cum potius sit materia, & subiectum illius; imo ipsum fundamentum denominatur pater formaliter à relatione paternitatis: ergo ab alia forma oritur hæc denominatio; sed non est alia, nisi terminus; ergo terminus est ratio formalis, extrinseca denominandi fundamentum relatum: ergo est denominatio extrinseca.

152 Confirmatur, quia nullum constitutum formaliter specificatur, & habet totum suum esse essentiale à conditione; sed relativum ut relativum, v. g. pater ut pater specificatur à termino, & habet totum suum esse specificativum ab illo: ergo terminus non est conditio respectu patris, quatenus pater est formaliter: sed ratio formalis extrinseca, quia specificativum essentiale est formale extrinsecum respectu specificati ut obiectum respectu scientiæ, & potentiæ, res producta respectu actionis, &c. cum obiecta, & res producta specificent essentialiter actionem, & potentiam; quod autem conditio non specificet, patet, quia conditio non est ratio formalis: sed potius distinguitur ab illa: ergo conditio non specificat, ut videtur in intellectione respectu amoris, & in approximatione respectu productionis, quæ quia sunt conditiones, non specificant, alias ponerentur in definitione essentiali amoris, & pro-

ductionis, quia omne specificativum ponitur in definitione, ut videre est in obiectis potentiarum, & actuum, quæ quia specificant, & sunt formalia respectu potentiarum, ponuntur in definitione illarum: sed denominatio relationis specificatur formaliter à termino: ergo terminus est formale, seu forma extrinseca respectu illius, à qua sumitur talis denominatio: ergo terminus non est conditio, ac proinde denominatio relationis erit omnino extrinseca.

Præterea, quia posito termino, resultat denominatio relationis ex communi axiomate recepto ab omni schola: ergo relatio, & terminus habent connexionem causæ, & effectus: quia connexio illa relationis cum termino est per dependentiam à termino; dependentia enim dicit causalitatem: ergo denominatio relationis est à termino tanquam à causa; atqui terminus non est causa efficiens talis denominationis relativæ, quia terminus ut terminus nihil efficit in fundamento, ut de se patet, nec materialis, aut subiectiva; quia hoc genus causæ exercet entitas fundamenti, relatio enim paternitatis non est in termino genito, sed potius in fundamento generante: ergo est à termino tanquam à causa formali, non intrinseca, ut patet, sed extrinseca: ergo talis denominatio relationis est à causa formali extrinseca, ac proinde erit extrinseca, ut videre est in viso, dextero, &c.

Nec in tua sententia valet dicere, quod omnis denominatio extrinseca, quæ sumitur ab aliqua forma, debet esse eiusdem rationis cum forma: non enim hoc valet dicere: quia tu ais, servum denominari à Domino extrinsece, & maritum ab uxore, & nihilominus sunt distinctæ denominationes extrinsece, aut diversæ rationis à formis extrinsecis, à quibus sumuntur tales denominationes. Deinde, quia sola entitas fundamenti non potest esse forma talis denominationis relationis, quia entitas fundamenti est absoluta, & minime est in ordine ad terminum, & conservatur independentem ab illo; atqui denominatio relationis est tota propter terminum, & cum dependentia ab illo, ita ut nullo modo possit esse sine termino: ergo hæc denominatio non sumitur ab entitate fundamenti quatenus absoluta est: & ex alio capite non est aliud distinctum ab entitate fundamenti absoluta, à quo sumatur: ergo debet sumi totaliter à termino; sed terminus est omnino extrinsecus respectu fundamenti in quo est talis denominatio: ergo talis denominatio est omnino extrinseca in fundamento.

155 Dices, talem denominationem non sumi tanquam à forma à termino, sed potius à fundamentum, quatenus est in ordine ad terminum.

156 Sed contra manifeste, quia illud in ordine ad terminum, quod ponitur in fundamento, aut est distinctum ab ipso fundamento, aut non? si non est distinctum: ergo est ipsa entitas fundamenti; sed ipsa entitas fundamenti de se non est in ordine ad terminum, sed potius absoluta, & omnino independens à termino: ergo talis denominatio, quæ omnino dependet à termino, non est à quo sumatur in fundamento; quod etiam videntur argumenta superiori sectione posita: nam idem fundamentum antequam poneretur terminus non erat in ordine ad terminum, ac proinde non poterat tunc talis denominatio sumi ab entitate fundamenti: ergo per solam positionem extrinsecam termini non potest fundamentum in-

Ssss 3 trinsece

trinfecce esse in ordine ad terminum ex vi propriae solius entitatis, alias eadem entitas creata posset transire de termino contradictorio intrinseco in terminum contradictorium intrinsecum, sine additione intrinseca per solam positionem extrinseci: alias natura substantialis posset transire de non subsistente intrinsece in subsistentem intrinsece, & e contra sine additione intrinseca aut diminutione, quod est absurdum inauditum, nec potest dici quod in absolutis non potest, bene autem in relativis: non enim hoc potest dici, quia est petitio principij manifesta, & præterea illud principium est universalissimum, & fundatur immediate in limitatione creaturae, ut supra probavimus, quæ eadem est respectu omnium contradictoriarum, sive sint absolutæ, sive respectivæ, quia ad hoc negotium impertinens est discrimen utriusque. Tandem, quia idem intellectus non potest transire de intelligente actu in non intelligentem actu, aut e contra sine additione distinctæ entitatis à parte rei ab intellectu, aut diminutione realij, atqui intelligere actu est relatio transcendentalis, aut denominatio relativa transcendentalis, & nihilominus non potest de novo advenire intellectui per solam positionem alicuius extrinseci, sive sit obiectum sive quodcumque aliud: ergo adhuc in relativis tenet principium: ergo eadem entitas fundamenti non est de se illud, in ordine ad terminum, quod ponitis, ut sumatur denominatio relativa: ergo illud, in ordine (ne denominatio illa sumatur à termino totaliter, ac proinde sit omnino extrinseca) debet esse distinctum à parte rei ab ipsa entitate fundamenti; sed illud in ordine est relatio: ergo relatio distinguitur, &c.

SUBSECTIO II.

In qua reliqua argumenta ponuntur.

157 **Q**uinto: quando duo sunt idem à parte rei, implicat quod in re ipsa unum augeatur, & alterum minuat; sed similitudo unius albi cum altero potest minui, & albedo, quæ est fundamentum, augeri: ergo similitudo, & albedo non sunt idem à parte rei: Maior ex terminis patet: Minor probatur, quia inter duo alba habentia eandem intensionem in albedine ut quatuor v. g. potest augeri albedo unius, si intendatur usque ad sex gradus, immutata manente albedine alterius, & perseverante ut quatuor, & tunc certe minuitur similitudo, cum hæc duo alba non sint tam similia, sicut antea: ergo relatio similitudinis minuitur, & augetur fundamentum, quod est albedo: ergo non sunt idem sed distincta à parte rei.

158 Sexto, quæcumque opposita, quæ possunt fundari successive in eodem, illo semper permanente eodem distinguuntur à parte rei ab illo, in quo fundantur; sed similitudo, & dissimilitudo sunt opposita, & possunt fundari in eadem albedine, semper eadem permanente illa: igitur similitudo, & dissimilitudo differunt à parte rei ab ipsa albedine. Maior videtur certa, nam quia albedo, & nigredo, frigiditas, & calor sunt opposita, fundanturque in eadem substantia, semper illa eadem permanente, distinguuntur à substantia, aut à quantitate, in qua immediate fundantur, & idem est de odio, & amore respectu voluntatis, & de vitio, & virtute, errore, & scientia respectu intellectus, &

sic de omnibus oppositis respectu eiusdem fundamenti: ergo quæcumque opposita, &c.

Minor quoad oppositionem est evidens. Nam illa sunt opposita, quæ repugnant in eodem respectu eiusdem, & minime compatiuntur in ipso, ac proinde se expellunt ab eodem à parte rei, ut videre est in definitione oppositorum, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt; sed idem Petrus respectu eiusdem Pauli non potest simul esse pater, & filius, similis & dissimilis ratione paternitatis, & filiationis, similitudinis & dissimilitudinis; ergo hæc relationes, quæ indubitanter sub eodem genere relationis maxime distant, ab eodem subiecto respectu eiusdem mutuo se expellunt: ergo sunt opposita à parte rei.

Dices, non posse eandem substantiam successive ve respectu eiusdem habere relationem paternitatis, & filiationis.

Sed contra, quia idem Petrus, qui genuit Paulum, ac proinde est pater Pauli, potuit non generare Paulum: sed potius generari ab ipso, imo si moriatur Petrus, potest Paulus, ut instrumentum Dei reproducere Petrum, ac proinde esse causa illius: unde idem Petrus divisim potest fundare relationem patris, & filij, causæ, & effectus respectu eiusdem Pauli, manente eadem entitate, aut ut melius, & clarius loquar per eandem substantiam: ergo.

SECTIO V.

Secunda nostra conclusio ponitur, & probatur.

Secunda conclusio: relatio prædicamentalis non est denominatio extrinseca pura: hæc est communis sententia Doctorum, probatur.

Primo, quia relatio creata est participatio relationis increatae; sed relatio increata non est denominatio extrinseca; ergo neque relatio creata. Maior est evidens, quia omne prædicatum creatum est participatum à prædicato increato, ut videre est in substantia, intellectu, voluntate, & reliquis prædicatis, quæ reperiuntur in creaturis, & sunt participationes substantiæ, intellectus, & voluntatis divinæ; & ratio est manifesta, quia omne ens secundum est participatum à primo; sed omne prædicatum creatum est ens secundum, & omne prædicatum increatum est ens primum: ergo omne prædicatum creatum est participatum à prædicato increato, seu est participatio illius, & ideo sapientia creata est participatio sapientiæ increatæ.

Minor prima fide catholica constat, quia in divinis solum dantur quatuor relationes, tres personales, seu constituentes personas, & vocantur relationes quasi transcendentales, quia sunt de intrinseca constitutione personarum, v. g. relatio paternitatis, filiationis, & Spiritus sancti: hæc enim non adveniunt personis constitutis, sed potius constituunt ipsas in esse personarum: quarta relatio vocatur quasi prædicamentalis, quia non constituit personas quatenus personæ sunt, sed potius conveniunt personis constitutis per paternitatem, & filiationem, ac proinde quasi nostro modo concipiendi adveniunt personis iam constitutis, ratione cuius quasi prædicamentalis dicitur: & hæc relatio est spiratoris activi, sed nulla ex his relationibus est denominatio extrinseca: ergo, Consta

Quæst. II. Vtrum relatio distinguatur, &c 695

- 165 Consequentia prima patet, quia omne prædicatum, quod participatur à prædicato increato, participat omnem rationem, quæ non involvit infinitam perfectionem in tali prædicato, cuius non est capax tale prædicatum creatum; sed ratio intrinseca in relationibus increatis, quatenus ratio intrinseca ut sic est, non involvit infinitatem, nec eminentissimam perfectionem: ergo potest participari à relationibus creatis, creatæque relationes erunt capaces talis participationis. Maior huius syllogismi est certa; ideo scientia creata participat evidentiam à qua est formaliter evidens, & certitudinem à qua est formaliter certa; quia scientia divina est formaliter evidens, & certa, & formalis evidentia, & certitudo ut sic non involvunt infinitam perfectionem, ac proinde scientia creata est capax illarum. Item homo, vel Angelus, &c. participant rationem liberi arbitrij à Deo, cum indifferentia ad amandum, & non amandum, quia talis indifferentia ut sic non est perfectio infinita; ergo. Minor illa sic probatur. Illa ratio in divinis non involvit perfectionem infinitam ex conceptu suo præciso, quæ participatur à creaturis in alijs prædicatis formaliter; sed ratio intrinseca participatur à creaturis in intellectu, voluntate, intellectu, volitione, sapientia, iustitia, misericordia, charitate, & ceteris, quæ sunt intrinsece perfectiones respectu creaturarum: ergo ratio intrinseca, quæ est in relationibus divinis ex suo conceptu, & quatenus præcise dicit rationem intrinsecam non involvit infinitam perfectionem.
- 166 Declaratur, quia non est maior ratio, quare ratio intrinseca, quæ est in substantia, substantia, & reliquis perfectionibus divinis ex conceptu præciso talis intrinsece rationis non dicant infinitam perfectionem, ac proinde sint participabiles formaliter à creatis perfectionibus, ac de facto participetur, & sit formaliter in illis, & solum ratio intrinseca in relationibus sit infinita, ac infinite perfecta, ac proinde in participabilis à creaturis.
- 167 Præcipue, quia multæ relationes, ut sunt transcendentales, sunt intrinsece formaliter in creaturis: ergo ratio relationis ut sic intrinseca quatenus abstrahit à prædicamentali, & transcendentali non dicit infinitatem, siquidem talis ratio intrinseca, ut sic participatur à creatura formaliter in relationibus transcendentalibus, ut videre est in unione substantiali, quæ est relatio transcendentalis intrinseca materiæ, & formæ; sed non potest assignari aliquod rationale discrimen inter rationem intrinsecam prædicatorum absolutorum, & relationum transcendentalium divinarum, & inter rationem intrinsecam relationis prædicamentalis, ut hæc involvat infinitam perfectionem, & sit in participabilis à creaturis formaliter, & illa sit participabilis, & non dicat infinitam perfectionem: ergo dicendum est, rationem intrinsecam ex vi huius præcisi conceptus non dicere infinitam perfectionem in relationibus divinis, licet ratione prædicati increati dicant infinitam perfectionem, ac proinde implicet à creatura participari relationem intrinsecam increatam formaliter.
- 168 Dices, hoc argumento posse probari intellectum, voluntatem, & ipsas relationes creatas non esse accidentia: sed potius substantiam, eo modo, quo attributa divina non sunt accidentia, &c.

Sed contra; quia falsum est dicere hoc, quia Deus ex eo quod sit infinitus, identificat secum omnem perfectionem; unde divinitas nullo modo distinguitur à parte rei ab aliqua perfectione sibi debita, & in ipsa divinitate formaliter existente secundum illud axioma Concilij Lateranensis, quidquid in Deo formaliter est Deus est, quod innititur verbis Ioannis; in ipso vita erat, &c. sed Deus est substantia: ergo ex vi suæ infinite perfectionis, quidquid Deo convenit, substantia est, quæ quod non distinguitur; sed identificatur cum substantia, non potest non esse substantia; unde omnia, sive nostro modo concipiendi primario, sive secundario, conveniunt Deo, sunt substantia Dei, & minime accidentia, quia Deus est simplicissimus, & incompositus à parte rei sine vlla potentialitate ut accidentaliter perficiatur ratione summæ, & infinite perfectionis illimitatæ, propriæ; itaque si Deus non esset à se infinitus, & infinite perfectus, haberet aliquas perfectiones accidentales saltem illas, quæ ei non primario convenirent, hoc est essentialiter; cum autem sit illimitatus, & infinitus non solum essentialis, sed attributalis, & notionalis, quæ non ita primario sicut essentialia, conveniunt Deo, sunt substantia.

Tunc sic, creatura non est illimitata, & infinita: sed potius finita, limitata, & imperfecta; ergo est capax distinctionis realis inter perfectiones proprias, ac proinde est capax compositionis: ergo creatura secundum suam substantiam non identificat omnem formalitatem sibi convenientem: ergo omnis formalitas conveniens creaturæ non erit substantia illius, alias substantia creata identificaret secum omnem perfectionem, quæ ad se pertineret: ergo aliqua perfectiones, aut formalitates conveniunt creaturæ ex vi propriæ limitationis, quæ non sunt substantia: ergo accidentia creaturæ realiter, seu ex natura rei distincta ab ipsa creatura: patet hæc consequentia, quia non est dare medium à parte rei inter substantiam, & accidens ut sic, cum adæquate dividatur ens ut sic in substantiam, & accidens, ut inductio manifesta patebit.

Sed hæc formalitates, quæ sunt accidentia, non sunt quæ primario conveniunt substantiæ: sed quæ secundario conveniunt illi, & accedunt realiter ad illam iam constitutam, possuntque abesse, & adesse præter substantiæ corruptionem, aut naturaliter aut supernaturaliter; atqui huiusmodi sunt voluntas, intellectus, intellectio, volitio, vitia, & virtutes creaturarum, & velate in sectionibus superioribus probatum, ac demonstratum manet, relationes prædicamentales omnes: ergo omnes huiusmodi formalitates in creaturis existentes formaliter ex vi limitationis, & similitudinis ipsarum, debent esse accidentia à parte rei distincta ab ipsa substantia creaturarum; licet omnia, quæ conveniunt Deo non sunt accidentia, sed potius substantia; & ideo omnes Sancti, & Doctores Catholici asserunt, tam perfectiones absolutas, quam relativas esse substantiam Dei, quod nolunt concedere in creatis, & nihilominus nullus hucusque Doctor asseruit aliquando, intellectum divinum habere rationem intrinsecam ut sic, quatenus abstrahit à ratione intrinseca per identitatem, & compositionem propter infinitam perfectionem, cum manifeste convincatur intellectum, intellectio, &c.

Sec. esse intrinsecas perfectiones saltem per compositionem respectu creaturæ: ergo similiter licet relationes prædicamentales creaturæ non sint substantia creaturæ, saltem poterunt esse intrinsecæ respectu illius per compositionem, & minime erunt denominationes extrinsecæ.

SVBSECTIO I.

In qua alia argumenta proponuntur pro hac conclusione.

172 **S**ecundo argumentor: quia denominatio extrinseca à forma absoluta non est relativa, sed absoluta, ut patet inductione: nam esse vestitum, esse locatum, esse visum, amatum, & intellectum non sunt relationes, sed absolutæ denominationes à veste, loco, visione, intellectione, & amore; propria enim ratio relationis est esse ad aliud, non vero ab alio affici, vel denominari: quare si relatio non sit aliud, quam denominatio extrinseca à termino, erit terminus absoluta entitas est: ergo non relatio sed denominatio extrinseca absoluta erit, eo modo quo visum, amatum, & intellectum, &c. ergo evetretur totum prædicamentum relationis.

173 **T**ertio sic argumentor, quia vnum oppositum non potest constitui à suo opposito formaliter, sed pater v.g. est oppositum relative respectu filij geniti, in quantum pater illius: ergo in quantum pater non constituitur à filio. Maior est certissima, ut facta numeratione per omnia opposita patebit. Minor longius probabitur quasi sequenti contra Patrem Hurt. ratione secunda: consequentia est clara. Tunc sic: si ratio patris in Petro v.g. esset denominatio extrinseca, oppositum relativum constitueretur ab alio opposito formaliter extrinsece; sed vnum oppositum non potest constitui ab alio, neque intrinsece, neque extrinsece: ergo pater non potest constitui à filio in esse patris.

174 **Q**uarto, quia v.g. esse patrem non est tantum habere filium à se genitum, sed potius est intrinsece esse cum à quo filius est genitus: sicut v.g. esse album simile alteri non est solum habere aliud tale, quale ipsum, sed est ipsum intrinsece esse tale, quale aliud: nam habere aliud tale quale ipsum, est habere aliud sibi simile, non vero est ipsum esse alteri simile; licet enim ista in re coincident, tamen non eadem ratione significantur, & differunt ratione: ergo ad relationem constituendam, non satis est habere terminum sed requiritur intrinseca habitudo rei relatæ ad terminum.

175 **V**iget: quia cum similitudo confurgat ex coexistentia utriusque albedinis, ut fatentur omnes, negari non potest, quod relatio, quæ est in hac albedine, quæ assimilatur alteri formaliter, sit saltem partialiter intrinseca, sit vel non sit etiam partialiter extrinseca: nam eo ipso, quod consistit in participatione eiusdem naturæ, in utroque extremo existens, licet natura, quæ est in termino, sit extrinseca, nihilominus natura, quæ est in fundamento intrinseca debet esse, quod sufficit ad hoc, ut relatio non sit pure denominatio extrinseca, alias destrueretur omnis relatio: quia cum denominatio extrinseca in re nihil aliud sit, quam forma denominans, relatio nihil aliud esset, quam

alterum extremum, sive terminus absolutus, atque adeo relatio quæ aliquid refertur ad aliud in distincto subiecto esset ab eo, quod refertur, nempe in termino. Tum etiam, quia extrinseca denominatio potius est quædam applicatio extrinseca formæ ad rem denominatam, quam ipsius subiecti habitudo, seu ordo ad terminum extrinsecum.

Quinto sic argumentor: quia omnis forma denominans extrinsece, supponitur ad eff. & tum formalem extrinsecum illius, sicut visio ad visum, intellectio ad intellectum: sed terminus quatenus terminus non præsupponitur ad relationem paternitatis, v.g. sed potius subsequitur quatenus actu terminus: ergo terminus quatenus actu: licet terminat, vel actu est terminus non potest constituitur relationem paternitatis in esse talis. Minor in qua est difficultas, sic demonstratur. Terminus quatenus actu terminus extrinseca denominatio est sumpta formaliter à tendentia paternitatis in genitum: ergo est effectus formalis extrinsecus talis tendentiæ, in tantum enim dicitur genitum terminare actu relationem paternitatis ad ipsum extrinsece tendit relatio paternitatis ad ipsum, sed effectus formalis non antecedit formam, sed potius subsequitur ad illam; quia omnis effectus subsequitur ad causam, ex eo quod sit posterior natura sua causa: ergo terminus actu terminus, qui est effectus formalis extrinsecus respectu relationis paternitatis non antecedit, sed subsequitur ad illam.

Declaratur: quia in termino genito v.g. duplex 177 solum ratio datur, alia ratio geniti, alia ratio actu terminantis relationem paternitatis: ratio geniti ex vi generationis non denominat patrem, sed generantem: nam generans est ille, qui generavit filium, ac proinde extrinsece denominabitur à generatione existente in genito: ergo hæc non denominat patrem: ergo ratio actu terminantis est, quæ denominat patrem; sed hæc denominatur à patre extrinsece tendente in ipsum genitum: ergo iterum non potest denominare extrinsece patrem: alias de primo ad ultimum idem à se denominaretur: nam si terminus denominat patrem, & pater denominat terminum: ergo pater non à terter denominat terminum, sed à propria intrinseca entitate denominatur quatenus refertur, & tendit ad terminum: ergo paternitas non est denominatio à termino, sed intrinseca formalitas in fundamento: illa prima consequentia patet, quia ad vnam formam extrinsecam sufficit vna denominatio extrinseca, & non oriuntur plures denominationes priores, & posteriores, quasi diversæ rationis, sed genitum ex vi generationis est vna forma extrinseca respectu generantis: ergo tantum denominat generans: ergo non denominat patrem: quia denominationes priores, & posteriores, & diversæ rationis, ac proinde distinctæ inter se: ergo ambæ non oriuntur à generatione existente in filio: ergo alia forma est à qua oritur denominatio patris.

Item, quia quando est forma extrinsece applicata respectu subiecti apti, simul natura relictat in eo omnis denominatio, quæ proficitur à tali forma extrinsece applicata: sed generatio, quæ est in filio, est forma applicata extrinsece generanti: ergo in illo priori tribuit omnem denominationem, quam potest; sed in illo priori non dandum est denominationem paternitatis: ergo denominatio

nominatione paternitatis non est à generatione existente in filio: sed ab alia forma posteriori natura ipsa generatione. Minor sic probatur, quia in priori natura, in quo est ratio fundandi relationem, nondum est denominatio relationis; sed in alio posteriori, quia posito termino generato, & in priori natura productoresultat relatio paternitatis: ergo denominatio relationis paternitatis non est in illo priori, &c.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

179 **A**d argumenta primæ sententiæ, & ad primum desumptum ex verbis Damasceni respondetur, verba sancti Doctoris nullo modo esse contra nos: sed potius pro nobis, nam Sanctus Doctor solum ait, ea quæ relativa sunt, si separantur à termino, non ad prædicamentum relationis pertinere; sed ad aliud prædicamentum absolutum, quia propterea non dicunt relationem, siquidem ex vi destructionis termini, omnis relatio existens in illis destruitur, ac proinde ea, quæ relativa erant ex vi relationis non sunt relativa: sed absoluta post separationem à termino, & sic ad varia prædicamenta absoluta reducuntur: hæc autem omnia maxime pro nobis sunt, & probant manifeste distinctionem ex natura rei relationis à fundamento: nam si fundamentum quod cum relatione relativum dicitur, non distingueretur à relatione, nunquam posset esse sine relatione, nec posset separatim esse ab illa; atqui D. Damascenus asserit, fundamentum quod modo est relativum à termino separatim non esse relativum: ergo iudicat fundamentum posse separari à relatione destructo termino, ac proinde debet iudicare distinguere à parte rei relationem à fundamento.

180 **V**rgent hoc intentum illa verba; quippe prius aliquid sine habitudine, ac relatione esse necessesse est: ac tunc vel deinceps habitudinem in ipso considerare; ac si diceret Damascenus, res prius esse constitutas in suo absoluto, quam habeant relationem, & postea posito termino habere illam, quia relatio prædicamentalis non est de primario conceptu rei; sed de secundario conceptu illius, ac proinde accedit iam constitutæ in suo esse, ratione cuius talis relatio accidens à parte rei est, & distinguitur à parte rei ab ipsa entitate absoluta: quod sic confirmo: quia idem non potest esse sine se ipso, alias idem non esset idem ipsum; sed ait D. Damascenus, quippe prius aliquid sine habitudine, ac relatione esse necesse est, ac deinceps habitudinem in ipso, &c. ergo habitudo, & relatio non sunt idem ac fundamentum absolutum; sed potius distinguuntur à parte rei ab ipso fundamento.

181 **D**eclaratur, quia nulla res potest esse sub contradictorio illius prædicati, quod identificatur cum ipsa, v. g. homo non potest esse sub animali quod est contradictorium animalis, quia identificatur homo cum animali. Vnde si aliqua entitas est sub contradictorio alicuius formalitatis positivæ, evidenter sequitur, talem formalitatem positivam distinguere à parte rei ab illa entitate, quæ est sub contradictorio illius formalitatis: ideo enim evidenter colligimus, materiam primam distinguere ab anima rationali cui

vnitur, quia materia prima potest esse sub contradictorio animæ rationalis; sed ex verbis D. Damasceni patet, fundamentum relationis esse sub contradictorio relationis: ergo distinguitur à relatione fundamentum. Minor est evidens, quia D. Damascenus ait, fundamentum prius esse sine habitudine; sed esse sine habitudine est esse sub contradictorio habitudinis: sicut materiam primam esse sine anima rationali est esse sub contradictorio animæ rationalis: ergo secundum D. Damascenum fundamentum est sub contradictorio habitudinis, seu relationis.

SVBSECTIO I.

In qua Divi Thomæ verbis respondetur.

Ad locum D. Thomæ respondeo, verum esse, 182 quod relatio non sit alia res à fundamento, quod nos etiam ingenue fatemur, dum dicimus, relationem non distinguere à fundamento realiter, ut vnam rem ab alia; sicut, v. g. albedo distinguitur à nigredine, vel à quantitate, & in hoc sensu loquitur D. Thomas, non tamen ideo negavit, relationem esse modum distinctum ex natura rei à fundamento: vnde nos dicimus, relationem esse aliam formalitatem modalem distinctam ex natura rei à fundamento, in quo dissentimus à sententia Thomæ de Argent. Hervæi, & aliorum Thomistarum, P. Suarez.

Negamus tamen, relationem esse aliam rem realiter distinctam à fundamento contra Capræolum in 1. dist. 30. quæst. 1. Caietanum, 1. p. quæst. 28. art. 2. Ferrarum 4. contra Gent. cap. 14. quia in his omnibus gravissime controversatur à Doctoribus de relatu; D. autem Thomas utramque partem nostræ veritatis docuit, primam de distinctione modali locis pro nobis citatis 1. p. quæst. 28. art. 2. & 9. de potentia, art. 2. & 4. contra Gent. cap. 14. secundam autem partem sci i. et quod non distinguatur realiter relatio à suo fundamento, ut vna res ab alia, docet Angelicus Doctor verbis citatis ab adversariis, in quibus aperte docet, non esse intelligendum quod similitudo sit alia res ab ipsa albedine: sed solum est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis, hoc est ut modificata, relata, & ordinata per habitudinem ad albedinem Platonis: ergo D. Thomas potius pro nobis, quam contra nos est.

Ad rationem Divi Thomæ de mutatione ref. 183 pondeo illa nostram sententiam confirmare Angelicum Doctorem, addereque vires supra positæ responsioni, quia D. Thomas ibi loquitur non de mutatione successiva, quæ motus per se dicitur, propterea distinguitur à mutatione instantanea, ut aliqui interpretes respondent: sed de mutatione per se intentâ primario, propterea condistinguitur à mutatione resultantia, & emanationis, & per accidens ac secundario intentâ à natura, ut solet dici, esse resultantiam figuræ, & ab omnibus, conceditur esse resultantiam relationis: quia relatio non intenditur per se à natura, sed solum quod intendit per se primario, natura est utrumque extremam, ex quorum positione quasi per accidens, & secundario resultat relatio, sicut, v. g. dum artifex scindit lignum, actio eius per se primario tendit ad motum localem, per quem applicatur instrumenta ligno, & postea resultat

Trrr resultat

resultat figura, clarius: natura primario intendit introducere formam substantialem in materia prima, ex cuius introductione ratione incapacitatis materia ad habendas simul duas formas quasi secundario, & quasi per accidens, & non ut primario intenta à natura, quasi resultat expulsio, & privatio formæ antecedentis: ita similiter in nostro casu, quod primario & per se intendit natura, est ponere extrema ex quorum positione quasi secundario resultat relatio, quibus omnibus positis intelligitur argumentum Divi Thomæ, quod sic formatur ab ipso: si relatio non solum realiter distincta à fundamento, fieret per se, & produceretur primario, terminaretque per se mutationem, aut productionem à natura primario, & per se intentam sicut producit, & terminat quæcunque res distincta à modis, ut substantia, quantitas, qualitas, &c. sed nulla facta per se, & primario intenta mutatione per positionem termini, resultat realiter relatio: ergo relatio non est res realiter distincta à fundamento: sed solum modus ex natura rei distinctus ab ipso.

184 Ecce ratiocinatio D. Thomæ recte intellecta nobis favet, clare, ac evidenter patrociniatur nostræ conclusioni: Nam D. Thomas non negavit quæcunque productionem, seu motum per accidens, & secundario sequutum ad positionem alterius terminari ad relationem; sed solum inficias ixit mutationem per se intentam terminari ad illam, quia cum ipsa relatio non sit principale, sed accessorium, quia non est res, sed modus, & non modus primario intentus: sed solum secundario consequutus ad positionem termini, inde est, quod non primario producat: sed tantum resultet positus fundamento, & termino, ac per consequens secundario producat, hunc enim finem, & scopum directe intendit, aut collimavit Angelicus Doctor quod optime consequutus est sua recta argumentatione, v. g. optime probaretur, figuram non esse rem: sed modum resultantem per hanc argumentationem, quia si figura esset res realiter distincta à quantitate; produceretur per mutationem per se; sed non fit per mutationem per se, & primario intentam: ergo non est res realiter distincta à quantitate; sed modus secundario, & quasi per accidens productus.

185 Ad objectionem primam respondeo falsum esse quod dicitur ab adversariis; nam D. Thomas nunquam dixit, nec protulit solum hæc verba præcise (sed solum est ipsa albedo) sed potius sic formalissime ait: sed solum est ipsa albedo ut se habet ad albedinem Platonis, ut ad terminum, ubi per albedinem intelligit fundamentum, & illis verbis, ut se habet, &c. indicat aperte relationem, quæ est modus ex natura rei distinctus ab albedine illam fundante; nam albedo destructo termino, albedo manet, & perseverat, & nihilominus non manet, nec perseverat ut se habens ad albedinem Platonis, tanquam ad terminum: ergo illud se habet ad terminum distinctum quid est saltem modaliter ab ipsa albedine; siquidem albedo potest sub habet, & sub non habet esse; nam destructa albedine Platonis non potest dici albedo Socratis se habet ad illam tanquam ad terminum, & illud se habet, non est denominatio extrinseca, quia est habitudo, per quam intrinsece potest albedo referri ad

terminum, vel ut melius loquar actu refertur ad illum quando actu est sub illo se habet: ergo est quid intrinsecum reale separabile ab ipsa albedine; cum etiam persistente albedine, non persistat illud reale intrinsecum se habet, quod antea erat in albedine nondum destructo termino, ratione cuius formaliter, & cum veritate dicebatur, ut se habet ad terminum, vel habet habitudinem ad illum: ergo relatio, seu habitudo significata per illa verba, ut se habet secundum D. Thomam est entitas distincta à parte rei ab albedine quod nos intendimus contra adversarios nostra conclusione.

Ad illud, quod dicitur ab adversariis in illa 186 objectionem seu contra; dicimus nunquam Divi Thomam negasse mutationem per accidens, aut secundario intentam: sed solum primario, & per se intentam: quia hæc duntaxat serviebat menti, & ratiocinationi D. Thomæ, & non illa, ut ex supradictis patet: nam licet mutatio per accidens sit vera mutatio, non negavit illam, quia non negavit omnem veram mutationem: sed solum per se, & primario intentam, ut iam diximus propter rationes supra positas.

Deinde falso affirmant contrarij, asserendo D. 187 Thomam solum docuisse distinctionem relationis à fundamento per terminum extrinsecum; cum expresse assignet aliquid intrinsecum in fundamento, per quod distinguitur relatio ab ipso, illud nimirum, quod significat per illa verba, ut se habet ad terminum, quod intrinsecum est, ut patet ex dictis.

Ad ultima verba P. Hurtado dico maximum 188 defectum irrogare, aut imputare Divi Thomæ, dum loquens de eo dicit apud antiquos non fuisse tam exactam disputationem de modis, & rebus, qui defectus minime debet tanto Doctori attribui; nam certissimum est, D. Thomam mirabiliter de modis, & rebus quoad esse, & quoad distinctionem tum opusculis, tum partibus, tum libris contra gentes egisse; imo in loco ad adversarij posito data opera, ut ostendat naturam relationis, dicit non esse aliam rem: sed esse albedinem cum habitudine, & respectu ad terminum modificante albedinem, &c.

Ultimo dico, fortasse ab ipsis non attente 189 lectum fuisse caput illud tertium opusculi 18. si quidem asserunt D. Thomam affirmare septem ultima prædicamenta re differre inter se, nam Angelicus Doctor hæc solum profert verba: dicendum quod divisio entis in decem prædicamenta est divisio secundum decem diversa secundum rem, vel quantum ad hoc quod dicuntur diversas res; sicut substantia, quantitas, & qualitas, quæ comparata ad invicem sunt diversæ res, vel inquantum dicuntur diversæ res extrinsecæ: Ecce verba D. Thomæ in illo capite, ubi nunquam in particulari loquitur de septem ultimis prædicamentis secundum id, quod in se distinguit secundum rem sub distinctione dicta, & verificat hanc propositionem ratione substantiæ, quantitatis, & qualitatis, quæ vere res sunt; nam ad verificationem propositionis confutæ, vel disiunctivæ sine signo universalis pronominis, aut nullus, quæ sunt signa distributiva pronominis, aut nullus, quæ sunt signa singularia: v. g. in symbolo fidei dicitur: credo sanctam Ecclesiam catholicam, de qua dicit Paulus esse sine macula, &c.

Quæst. II. Vtrum relatio distinguatur, &c. 699

& ruga, & hæc Ecclesia non est, nisi congregatio fidelium omnium, ex quibus non omnes sunt sancti, & nihilominus dicitur tota Ecclesia sancta ratione aliquorum: ergo similiter, vt decem prædicamenta dicantur differre secundum rem sufficiunt aliqua, quæ D. Thomas assignat, ratione quarum verificatur propositio, & non ratione omnium, præcipue propter disunctionem, qua utitur, & vt in aliquo sensu etiam respectu omnium verificetur, ait D. Thomas reliqua prædicamenta si differunt secundum rem, hoc non esse ratione propriarum entitatum, quia multa ex illis sunt modales entitates, vt vbi, duratio, ratione quarum potius modaliter, vel ex natura rei distinguuntur) sed ratione connotatorum, quæ res sunt, & ponit exemplum in relatione, quæ si secundum suam entitatem intrinsecam consideratur, differt modaliter solum, vel ex natura rei à fundamento, vel ab alio prædicamento: attamen si consideretur extrinsece, aut ratione connotati, quod vt terminus pertinet ad relationem, dicitur differre secundum rem, quia fundamentum quatenus absolutum non connotat terminum, & relatio quæ est in fundamento, connotat illum: explicatur hoc exemplo; solemus enim dicere, Rex Hispaniæ distinguitur à Rege Angliæ realiter in divitijs, in Vasallis, &c. non quia per illa distinguatur secundum aliquid intrinsecum, sed solum secundum extrinsecum, quibus dominatur, & quibus fruatur, & potitur.

190 Secundo respondeo cum gravissimis authoribus ex ipsius D. Thomæ schola, Angelicum Doctorem eo opusculo sententiam illam sequutum fuisse quam re melius considerata mutavit (sapientis enim est mutare consilium) in partibus, locis à nobis citatis: vbi data opera politiori Minerva egit de relatione; sicut de cæteris rebus; cum autem suam Theologiæ quam partes vocamus composuerit, iam ætate provectus, dum ad culmen sapientiæ pervenerit, in ea potius sequendus ac venerandus D. Thomas, quam in opusculis, quæ iuvenis scriptis mandavit: vnde à D. Thomæ iuvene ad ipsum Angelicum Doctorem D. Thomam senem, ætate, ac mitto splendoris sapientiæ, omnigenæ quæ scientiæ lumine circumfusus deflecto, appelloque. Ad quod me movent, præter loca D. Thomæ pro mea conclusione citata, clarissima, & expressissima verba ipsius Angelici Doctoris 9.8. de potentia Dei art. 2. vbi sic ait: relatio realiter substantiæ adveniens, postremum, & imperfectissimum habet esse; quia non solum præexistit esse substantiæ, sed esse aliorum generum, ex quibus causatur: quæ verba formalissime ponit lib. 4. contra Gent. cap. 14. in quibus aperte docet duo, primum relationem realiter, vel à parte rei advenire fundamentum; sed idem non potest sibi ipsi realiter advenire: ergo relatio non est idem cum fundamento, sed potius distincta à parte rei à fundamento. Secundum quod asserit est, relationem causari à substantia, & ab entitatibus aliorum prædicamentorum, in quibus fundatur immediate; sed causa distinguitur à suo effectu, & ideo idem non potest à se ipso causari, quia quidquid producit ab alio producit: ergo relatio, quæ in sententia D. Thomæ causatur à fundamento à parte rei distinguitur à fundamento.

191 Tandem alij respondent, vt asserit Fonseca, lib. 5. met. cap. 15. q. 2. sect. 3. in medio, §. quod vero, in fine illius, opusculum citatum non esse D. Thomæ.

R. P. Ideph. de Peñafiel Theol. Schol. Tom. I.

Ego autem concludo pro prima explicatione 192 D. Thomam solum intendisse negare distinctionem realem, vt supra diximus, neque illa verba ab adversarijs citata (secundum rem) aliquid obstant, quia multoties D. Thomas asserit, vbi, & figuram distingui secundum rem, id est à parte rei, seu ex natura rei, quod patet evidenter: nam in sententia D. Thomæ, vbi, & figura non sunt res simpliciter, sed modi; ergo licet D. Thomas dicat, aliqua prædicamenta distingui secundum rem, non est intelligendus de distinctione reali simpliciter, sed sufficit vt intelligatur de distinctione modali.

SVBSECTIO II.

In qua prima, & secunda ratio Adversariorum solvuntur.

AD primam rationem concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem minoris distinguo maiorem, est ratio, qua duo individua sunt idem, id est qua formaliter conveniunt, concedo, qua habent veram identitatem, sicut Petrus secum, nego; nam licet communiter, & vulgo dicatur, Petrum, & Paulum esse idem in specie, non est ita intelligendum, vt Petrus, & Paulus habeant propriam identitatem, eo modo quo fingebat Scotus, sed solum habent similitudinem & convenientiam in essentijs eo modo, quo latissime dictum est disp. de Universal. cum autem sit accidentale Petro convenire vt quod cum Paulo, sic etiam ipsa convenientia seu ratio formalis, per quam constituitur in esse convenientis vt quod cum illo, potest esse accidens; vt est relatio. Ad minorem nego illam, in sensu à nobis explicato: ad probationem respondeo multa vt quod non convenire, & nihilominus posse esse vt quo rationem conveniendi: sicut v.g. actio non agit vt quod, & nihilominus vt quo agit; & vnio non vnit vt quod, & nihilominus constituit vt quo, res vnitas vt quod. Ita similiter licet relatio non identificetur, hæc conveniat vt quod secundum ultimum conceptum proprium cum Petro, quia Petrus est substantia, & relatio est modus accidentalis, nihilominus potest esse ratio formalis, qua constituitur Petrus in esse convenientis, & similis, vt quod accidentaliter respectu Pauli, quod sic demonstro: quia eo modo debet esse ratio formalis conveniendi, quo est concretum in gradu essendi; sed concretum conveniens est concretum accidentale: ergo convenientia debet esse accidentalis, ac proinde non potest convenire cum subiecto substantiali vt quod constitutum in esse convenientis accidentaliter ab ipsa convenientia. Minor illa sic demonstratur, quia actu convenire vnā substantiam cum altera, convenit tali substantiæ postquam iam est constituta in suo esse primario, ac proinde accedit illi realiter completæ, & constitutæ adæquate in esse substantiali, & talis convenientia potest abesse, & adesse illi, præter corruptionem illius: ergo esse conveniens, aut convenire est concretum accidentale, ac proinde debet provenire ab accidenti tanquam à forma: vnde licet vt quod non sit conveniens accidens, specificè cum substantia, nihilominus vt quo non solum potest, sed ita necessario est actualis convenientia illius cum alio,

T t t 2 vt

ut si ipsa non esset accidens non posset esse actualis, & formalis convenientia illius.

194 Exemplo manifesto illustratur hoc: nam licet substantia in se, & per se non subsistat ut quod, ex eo quod sit modus, nihilominus potest constituitur Petrum in esse subsistentis ut quod, quia ratione subsistentiæ Petrus est quod subsistit, & quod existit per se, & in sententia Patris Suarez, anima rationalis non potest esse corporea ut quod, quia est spiritualis ut quod, & nihilominus est corporea ut quod, & constituit Petrum in esse corporei ut quod: ergo licet relatio ex eo quod sit accidens, non sit, ut quod simile, aut conveniens cum Petro, potest tamen esse similis, & conveniens ut quod, idest actualis similitudo, & convenientia accidentaliter, per quam formaliter constituitur Petrus in esse convenientis, & similis accidentaliter cum Paulo.

195 Item relatio similitudinis, aut identitatis non potest esse ratio conveniendi fundamentaliter, potest tamen esse conveniendi formaliter: nam convenientia fundamentalis nihil aliud est, quam quod Petrus sit homo, sicut Paulus, ratione cuius est fundamentum convenientiæ formalis, quæ consistit essentialiter in puro respectu, dicitur autem convenientia similitudo, aut conveniens, & similis ut quod, quia ordinat suum fundamentum ad terminum, qui habet essentiam, sicut ipsum aut ad illum, quatenus est similis fundamentaliter subiecto relationis, non tamen requiritur quod ipsa relatio sit eiusdem rationis cum fundamento, quia hoc potius esset, quod ipsa relatio esset similis ut quod.

196 Ad secundam rationem, quæ in ordine est quartum argumentum, respondeo primo cum P. Suarez, negando processum in infinitum, quia sistendum est in ea relatione, quæ eandem denominationem suscipit, quam præbet fundamento, & necessario, ac intrinsece illam secum adfert, v. g. quævis paternitas referatur similitudine ad aliam paternitatem, & illa similitudo sit similis alteri eiusdem speciei, nihilominus non oportet ut sit similis per aliam relationem, sed seipsa, quia illa denominatio est eiusdem rationis, & intrinsece illam secum adfert, quia non potest referri vna paternitas ad aliam similem, quin illi respondeat alia relatio, cui ipsa sit similis, & idem est de denominatione diversitatis inter ipsas relationes, quod ad summum probat argumentum; sic ille. Ex quo evidenter colligitur, quam frivola sit hæc ratio, siquidem ipse Pater Suarez, qui sententiam contrariam tueretur, solvit illam tanquam futilem, & invilem suæ sententiæ propugnandæ.

197 Secundo alij respondent negando Antecedens: ad probationem concedunt antecedens, & negant consequentiam; quia sicut vna dependentia non dependet per aliam dependentiam, neque vna actio producit per aliam actionem, sic similiter vna relatio non refertur per aliam relationem: sed sicut ipsa est ratio referendi alia, sic etiam seipsam refert ad terminum.

198 Tandem alij aiunt nullum esse inconveniens concedere processum in infinitum in tam minimis entitatibus, neque esse absurdum dari infinitas relationes actu, asserere; sicut non est inconveniens in sententia adversariorum concedere infinitas actu partes proportionales, præcipue quia vnaquæque pars dicit relationem ad totum; sed sunt infinitæ partes actu proportionales: ergo sunt

actu infinitæ relationes prædicamentales.

Respondet P. Rubius, tales relationes fundatas in partibus proportionalibus continui incompletas esse, & partiales ex quibus quasi vna totalis efficitur, & ideo non est inconveniens admittere quod sint actu infinitæ, secus autem contingere in relationibus fundatis in entitatibus completis, quæ completæ sunt.

Sed contra manifeste: quia per vos ideo relationes fundatæ in partibus proportionalibus sunt incompletæ, quia tales partes ex eo quod tales sint, sunt incompletæ entitates, ac proinde affectis, relationes fundatas in homine, & cæteris completis esse completas. Sed incomplementum accidentis non sumitur à subiecto in quo est, alias intellectus, & voluntas essent accidentia incompleta, siquidem subieciuntur in anima, quæ essentialiter incompleta est. Item gratia sanctificans; sed hoc est falsum in vestra, & in omnium sententia: ergo ex eo quod aliquod accidens subieciatur in aliqua parte, non potest dici propter illam rationem præcisam incompletum: ergo neque relatio, quæ est in parte erit partialis, & incompleta relatio. Secundo, quia non solum vnaquæque pars dicit relationem ad totum, sed etiam totum dicit relationem ad vnamquamque partem, quatenus constituitur ab illa, & differt ab ea distinctione includentis ab incluso: ergo relationes, quæ sunt in toto respectu omnium partium erunt completæ; quia subiectum illarum est totum, ac proinde completum ens; sed sunt infinitæ partes, ad quas refertur per distinctas relationes: ergo sunt infinitæ relationes completæ. Quod autem totum per distinctas relationes referatur ad omnes partes, patebit ex dicendis: *quæst.* Vtrum multiplicatis, & distinctis terminis distinguantur, & multiplicentur relationes?

Deinde, quia relatio quæ fundatur in anima rationali respectu alterius animæ, & in materia prima respectu alterius materiæ non sunt incompletæ, sed completæ, licet materia & forma sint partes essentialiter: ergo à fortiori relationes, quæ fundantur in partibus proportionalibus, cum illæ non sint essentialiter, sed solum integraliter partes, non erunt incompletæ, sed completæ. Ratio autem à priori horum est: quia incomplementum alicuius entitatis solū sumitur ab ordine ad componendum cum alia totum, itaque entitas partialis, & incompleta est illa, quæ componit aliam completam cum comparte, & ideo licet intellectus Petri subieciatur in anima, quæ essentialiter est entitas incompleta, & partialis, non est incompletus in esse intellectus, quia non componit cum alio intellectu intellectum completum, & idem est de voluntate, intellectibus, & volitionibus; contra vero quia manus componit cum brachio, & anima cum corpore, dicuntur entia incompletæ, & partialia; sed relationes quæ sunt in partibus respectu totius non componunt vnam completam relationem, ut falso asserit Pater Rubius in fine suæ obiectionis: ergo tales relationes non sunt incompletæ, sed completæ; sed sunt actu infinitæ: ergo non est inconveniens concedere infinitas relationes actu. Minor illa, in qua est difficultas sic demonstratur: quia si illæ omnes componerent aliquam relationem totalem, illa deberet esse in aliquo subiecto, & deberet habere aliquem terminum distinctum ab ipso subiecto, seu fundamento, quia terminus, & fundamentum eiusdem

Quaest. III. Vtrum relatio sit vtrumque, &c. 701

dem relationis distinguuntur realiter, praecipue in
sententia Patris Rubij.
202 Tunc sic interrogo quod sit subiectum illius
relationis completae compositae ex infinitis illis
relationibus partium proportionalium certe non
potest esse subiectum vnaqueque pars, quia vna-
queque pars non refertur per omnes relationes
ceterarum partium.
203 Deinde, quia vel esset in vnaqueque parte tota
& sic infinitas replicaretur in omnibus partibus,
quod est summum absurdum, vt ex terminis pa-
tet. Nam sicut est absurdum quod eadem albedo
completa quatenus completa simul sit in capite
tota, & tota simul in pedibus, similiter est absur-
dum dicere, quod tota relatio quatenus completa,
& tota est in vnaqueque parte, & in omnibus per
replicationem.
204 Nec potest dici, quod solum sit in vna parte
tota illa relatio; quia non est maior ratio de vna
parte, quam de alijs: ergo solum restat dicendum
totam illam relationem esse in toto composito
ex infinitis illis partibus proportionalibus quan-
titaris; sed hoc est impossibile, quia vel daretur
relatio sine termino, vel terminus identificaretur
cum fundamento eiusdem relationis. Nam termi-
nus, qui potest assignari tali relationi, debet esse
totum, quia partes ad totum referuntur; sed in
ipso toto fundatur illa relatio: ergo idem est fun-
damentum, & terminus eiusdem relationis.
205 Nec valet dici, terminum non esse totum, sed
partes, quia talis relatio composita est relatio par-
tium ad totum: ergo terminus non sunt partes, sed
totum, & resultat ex partialibus relationibus par-
tium ad totum, sed vnaqueque partialis relatio
non referebat totum ad partem, sed potius partem
ad totum: ergo erat opposita relatio toti opposi-
tione terminativa: ergo per solum vnionem cum
alijs non potest ita converti in oppositam, vt iam
non opponatur toti, sed ipsi partibus, quia hoc
est summum absurdum, vt ex ipsis terminis patet.
Si autem dicas, nec partes, nec totum esse termi-
num: ergo relatio est sine termino, quia non est
aliud, praeter partes & totum, quod possit assigna-
ri tanquam terminus talis relationis.
206 Vrgetur efficacius, quia vnaqueque pars non
solum refertur ad totum, sed ad aliam partem, ita
vt vnaqueque pars seorsim ad infinitas actu par-
tes refertur: ergo relatio vnuscuiusque partis,
quae est relatio distinctionis, opponitur relationi
alterius partis relative, & terminative alteri parti;
quia inter relationem ex vno extremo, & relatio-
nem alterius datur oppositio relativa, vt patebit
ex dicendis postea; quod pro certo habetur ab
omnibus Doctoribus: ergo omnes illae relationes,
quibus se respiciunt partes ad invicem non com-
ponunt vnam relationem: quia oppositae relatio-
nes non possunt componere vnam: sicut paterni-
tas non potest componere cum filiatione, & al-
bedo non potest componere cum nigredine, &
calor cum frigiditate; & ratio manifesta est, quia ex
duobus oppositis non coalescit vnus; sed tales re-
lationes distinctionis inter partes opponuntur
proprie relative: ergo non possunt componere
aliquam vnam; sed sunt infinitae, & distinctae actu
quia sunt totae, & tam distinctae inter se, sicut par-
tes in quibus fundantur: ergo sunt infinitae actu
completae relationes: ergo non est inconueniens
concedere infinitum in relationibus.
207 Tandem, quia inaudum est apud Doctores di-
cere vnam relationem posse componere cum alijs

quia ex vi propriae entitatis relationis est incapax
vnionis cum altera, vt docet expresse D. Thomas
sequutus Aristotelem 2. me. cap. 4. cum communi
schola. Peripateticorum quae ipsum Aristotelem
sequuntur.

SVBSECTIO III.

Aliae rationes Adversariorum solvuntur.

Ad confirmationem respondeo primo distin-
guendo antecedens, haec vel illa numero re-
latio diuisim, nego: omnis simul concedo. Itaque
posito fundamento, & termino, bene potest haec
vel illa seorsim sumpta relatio destitui, & separari
a fundamento, non autem omnis simul, ita vt fun-
damentum maneat sine omni relatione: nam sta-
tim ac destrueretur vna, resisteret alia propter
connexionem necessariam, quam habet funda-
mentum cum relatione posito termino. Explico
hoc exemplo quo vtuntur ipsi adversarii; dicunt
enim nullo modo posse tolli omne vbi simul a
corpore, ita vt maneat sine vilo, alias corpus nul-
libi esset, licet possit tolli hoc, vel illud, & sic de
omnibus diuisim, & seorsim sumptis. Item licet a
quantitate possit tolli haec, vel illa numero figura
& a natura substantiali, haec vel illa numero sub-
sistentia; non tamen omnis figura, vel omnis sub-
sistentia simul: clarius & efficacius, & in omnium
sententia licet possit conservari, aut produci crea-
tura sine hac, vel illa numero dependentia, vel
actione a Deo; vt nunc homo conservatur sine il-
la numero, actione, & dependentia a Deo, per qua
productus fuit primogenitus, nam illa fuit generatio, &
erat dependentia a Deo & a generante simul, &
haec est conservatio a solo Deo: nihilominus non
potest sine omni simul: quia conservatio est ratio
formalis conservandi, & sine ratione formali con-
servandi non potest conservari res: ergo non po-
test dari res sine omni conservatione; atqui vbi
figura, substantia, &c. distinguuntur ex natura rei
a subiectis, licet simul omnes non possint separari,
quia diuisim omnes possunt: ergo similiter licet
positis fundamento, & termino, non possint om-
nes relationes simul tolli, nihilominus distinguun-
tur ex natura rei a fundamento, & termino, quia
possunt omnes diuisim, & seorsim tolli a funda-
mento adhuc posito termino.

Secundo respondeo, sicut nulla potest evidens
ostendi repugnantia, quominus per potentiam
Dei absolutam separaretur, & destrueretur omnis fi-
gura simul a quantitate, omnis substantia a na-
tura, omne vbi ab ubicato, omnis praesentia a
corpore; ita similiter non posse ostendi repug-
nantiam, & implicationem ad hoc vt possit tol-
li omnis relatio a fundamento per potentiam
Dei absolutam, adhuc posito termino, & ratio
videtur persuadere hoc, quia relatio est entitas
ex natura rei distincta a fundamento, vt patet ex
dictis, qui non pertinet ad essentiam eius aut ex-
tremorum, in quibus est: ergo etiam si naturali-
ter sequatur ex eo iam posito in vtroque extremo,
non implicat contradictionem, quod talis con-
sequutio impediatur. Antecedens ex nostra sen-
tentia est manifestum, quia relatio non solum est
entitas distincta a fundamento: sed rationem for-
malem, & praedicamentalem habet ab eo diver-
sam; ergo nulla est repugnantia, quin impedia-
tur a Deo; consequutio eius ex fundamento po-

sito termino; sicut non repugnat, propriam passionem distinctam realiter ab essentia, à qua procedit naturaliter necessario ab ea non procedere, ut risibilitas ab essentia hominis, & eadem ratione probatur, quod postquam in fundamento reperitur, posito termino, possit ipsum fundamentum sine omni relatione permanere.

200 Ad quantum respondetur negando antecedens, ad probationem antecedentis concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem minoris distinguo antecedens, in actu primo, & fundamentaliter, & ut solet communiter dici essentialiter, concedo; in actu secundo, & formaliter, seu accidentaliter, nego. Ad probationem antecedentis distinguo maiorem, per id in actu primo, concedo, in actu secundo, nego. Item nego minorem: nam media informatione expellit frigus calorem, & è contra; quia expulso illa est formalis; sed expulso formalis est per modum actualis forme, & modus actualis forme ut talis est informatio, seu unio: ergo non expellit frigus calorem solum, & præcise per suam entitatem, cum unio distinguatur ex natura rei ab entitatibus unitis.

201 Ut autem hoc melius intelligatur, advertit in contrariis, seu oppositis posse duplicem statum concipi, alius est in actu primo, & quando actu non existunt simul duo contraria, vel in actu secundo, & quando coexistunt: v. g. quando actu sunt frigiditas, & calor, in primo statu dicitur frigus contrarium calori per relationem transcendentalem seu potentiam positivam, vel si vis, per non repugnantiam quam dicit frigus ad expellendum calorem, & de hac contrarietate concedimus essentialiter convenire contrariis, seu minimum radicari in essentia, in secundo statu resultat statim relatio diversitatis maxima, quæ oppositio formalis accidentalis dicitur, & per hanc relationem formaliter opponitur unum contrarium alteri, & hæc formalis oppositio distinguitur ex natura rei ab ipsis oppositis; quod autem talis ordo prædicamentalis resultet, patet; quia in quocunque datur relatio transcendentalis posito, & existente termino illius relationis, resultat relatio prædicamentalis, ita ut exercitium relationis transcendentalis sit hæc, seu ut melius loquar, ad relationem transcendentalem consequitur relatio prædicamentalis in fundamento existente termino, ut in materia prima respectu forme actu existentis, potentia intellectiva, & visiva respectu obiectorum actualiter existentium; sed illa contraria, v. g. frigus, & calor dicunt relationem transcendentalem ad invicem: ergo quando simul existunt, resultat relatio prædicamentalis in illis oppositionis, & contrarietatis formalis: patet hæc consequentia, quia illud est relativum prædicamentali quod non potest intelligi actu tale, nisi in ordine ad aliud: sed calor in quantum est oppositus, seu contrarius non potest esse, nec intelligi, nisi in ordine ad aliud: quia omne contrarium respectu alterius à se distincti est contrarium, & illud alterum, seu aliud est existens: ergo contrarium ut contrarium actu respectu alterius oppositi actu existentis est relativum prædicamentale: ergo relatio prædicamentalis est, per quam formaliter constituitur contrarium in esse actu contrarij, quia omnis conceptus ad aliud constituitur formaliter per relationem; atqui probatum est relationem prædicamentalem esse distinctam ex natura rei à fundamento: ergo op-

positio actualis, & formalis distinguitur à parte rei ab oppositis: unde opposita non sunt actu formaliter talia per suas entitates: sed per relationes ex natura rei distinctas ab illis accidentaliter illis convenientes; quia licet albedo ex sua natura habeat aptitudinem ad pugnandum cum nigredine, nihilominus quod nigredo actu existat accidentale est albedini, ac proinde est accidentale ipsi, ut cum illa actu pugnet, & illi actu formaliter opponatur, & ut illam actu respiciat, ut sibi oppositam.

Confirmatur, diversa sunt actualiter formaliter talia per relationem prædicamentalem, & ideo quædam species diversitatis; sed opposita actu sunt maxime diversa actualiter: ergo opposita actualiter sunt talia formaliter per relationem prædicamentalem.

Secundo respondeo negando antecedens, ad probationem concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem huius concedo antecedens, & nego consequentiam, imo suppositum consequentis: nam supponit in consequente idem esse contraria, & dissimilia, quod est falsum: nam contraria sunt per proprias entitates, quatenus sunt aptitudines ad expellendum se ad invicem ab eodem subiecto. Itaque illa repugnantia aptitudinalis, quæ datur in oppositis constituit ipsa in esse oppositorum; dissimilia autem non sunt, nisi per relationes dissimilitudinis resultantes supra entitates contrariorum actu coexistentes: unde frigus actu, & formaliter dicitur contrarium, vel propter actualem, & formalem aptitudinem dictam, & sic erit tale, etiam si non existat calor; & nihilominus non poterit dici formaliter, & actu dissimile calori non existenti.

Vel dicitur formaliter actu contrarium propter actualem, & formalem expulsiorem, quam exercet frigus circa calorem, quæ non est relatio nisi actualis informatio frigoris in gradu incompatibili cum tali gradu caloris, & etiam tunc non dicitur dissimile formaliter actu per actualem expulsiorem, seu actualem repugnantiam, sed per relationem resultantem in entitatibus qualitatibus contrariarum, ex eo quod maximam diversitatem habeant; sicut dissimilitudo, quæ resultat in entitatibus hominis, & equi propter diversitatem essentiarum illorum; unde evidenter sequitur frigus, & calorem non esse formaliter dissimilia, & contraria ex vi eiusdem formalitatis, licet in omnibus verificetur eadem conditio; nam sicut ea, quæ fundamentaliter, aut aptitudinaliter sunt relativa, quando reducuntur ad actum secundum relationis, reducuntur per actualem modum ex natura rei distinctum à fundamento; ita similiter contraria quæ talia dicuntur per aptitudinem ad expellendum, quando reducuntur ad actum secundum expulsiorem, per quam actu opponuntur est talis reductio per modum unionis ex natura rei distinctum à contrario expellente sibi contrarium.

Iuxta hanc secundam solutionem eo modo dicuntur formaliter contraria, quo homo dicitur formaliter rationalis ad quod non est necessaria relatio actualis: sed aptitudo ad intelligendum, ratiocinando, ita similiter ad hoc ut albedo dicatur contraria formaliter non est necessaria relatio prædicamentalis: sed sufficit aptitudo formalis actualis quæ datur in ipsa, ut repugnet cum nigredine, & expellat illam ab eodem subiecto.

Tandem

Quæst. III. Vtrum relatio distinguatur, &c. 703

206 Tandem interrogo ab adversarijs, an frigus & calor quatenus actu sunt oppositi, sint relativi prædicamentali, vel non; si hoc secundum dicant nihil contra nos: si primum, iam demonstratum est omnem relationem prædicamentalem distinguere ex natura rei à suo fundamento, ac proinde asserimus, idem dicendum esse de relatione oppositionis; nam eadem est ratio huius, ac relationis diversitatis, &c. nam sicut denominatio diversitatis actualis est intrinseca respectu diversi, ita deberet esse denominatio oppositi actu illis, & sicut denominatio diversi dependet ita à termino actu existente ut destructo illo omnino destrueretur, ita similiter propter eandem dependentiam destructo termino opposito, destrueretur denominatio actualis oppositionis, ac proinde poterit adesse, & abesse à contratio talis denominatio præter illius entitatis corruptionem, & sic erit accidentalis, &c.

SUBSECTIO IV.

Sexta, & se prima ratio solvuntur.

207 **A**D sextum respondeo primo, dicendo optime satisfactum fuisse ibi argumentis ad objectionem de novo factam nego maiorem: ad probationem illius nego maiorem, & minorem, ad interrogationem explicationis respondeo per pluralitatem partium, quæ inæqualitas fundamentalis vocatur à nobis non reddi subiectum maius formaliter. Ad probationem concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad id, quod postea additur, dico maiorem, & inæqualitatem formalem non esse pluralitatem, paucitatemve partium in subiectis, ratione quarum unum subiectum excedit aliud: item maioritas formalis non est ut unum excedat aliud; sed potius est ut subiectum habens plures partes quam aliud respiciat, quod excedit, ut habens minores se ipso, & in hoc consistit fallacia adversariorum, eorumque deceptio, quia relationes solum sunt respectus; unde nec sunt rationes excedendi, nec rationes plures: sicut similitudo non est habere albedinem in eisdem gradibus: sed potius est respectus parus inter habentia eisdem gradus; sic similiter maioritas inæqualiter, & excessus formalis non est habere plures partes, quam aliud, sed respectus inter habentia plures, & pauciores partes.

208 Secundo respondeo ad illud ultimum, dicendo tam excessum formalem, quam æqualitatem formalem, pluralitatem, & paucitatem formalem, v. g. quibus dicimus, hoc habet plures, vel pauciores partes, quam illud formaliter, hoc excedit formaliter aliud, esse relationes prædicamentales, ac proinde esse omnino accidentale quantitati habere has rationes, ac proinde sicut quantitas per suam ipsam entitatem non est formaliter; sed tantum fundamentaliter relata, ita similiter per suam propriam entitatem præcisam non excedit aliam formaliter, nec est æqualis, aut habet plures partes quam alia, nec pauciores actu, & formaliter: sed tantum fundamentaliter; nam, v. g. habere unam quantitatem tres, vel quatuor partes est omnino independentem ab alio extrinseco corpore habente etiam tres, vel quatuor partes quantitatis: at vero unam quantitatem habere formaliter tot partes,

ac alia, id est esse æqualem alteri est omnino dependens ab extrinseco termino; quia nec esse, nec concipi potest unum esse, sicut aliud sub hoc formalissimo prædicato, sicut aliud, sine to aliud, unde esse sicut aliud formaliter, aut esse æquale formaliter alteri dicit ordinem positivum ad aliud, cuius totum esse consistit in puro respectu, & actuali respicientia; atque adeo advenit accidentaliter physice rei habenti tot partes quantitatis, vel talem, & talem perfectionem in substantia, vel tot gradus qualitatis; unde quando dicitur, quod palmus præciso quocunque modo habet tot partes, ac alius: vel plures, quam semipalmus; respondeo distinguendo, habet plures partes fundamentaliter, vel materialiter, concedo; formaliter nego; quia hoc habet per relationem, quia excedere aliud, habere plures, quam aliud, sine dubio est conceptus relativus, cum totum suum esse habeat in ordine ad aliud, & sic non potest esse talis conceptus formaliter sine relatione formalis: sicut non potest esse unitum, ut unitum formaliter sine unione formalis, &c.

Habere autem plures partes materialiter, aut excedere materialiter, non est aliud, nisi quod palmus habeat quatuor partes, & semipalmus duas, quas potest habere palmus, etiam si non sit semipalmus, & contra; ut autem sint plures formaliter, est necessarium quod actualiter detur palmus habens quatuor partes, & semipalmus habens duas partes, & quod palmus connotet semipalmum per habitudinem ad illum, quod est omnino accidentale illi, & sit ex vi aliquis formalitatis intrinsece existentis in palmo, cuius totum suum esse consistit in puro respectu, & in actualiter referri ad aliud, quod omnino destruitur ablato termino: palmus vero, & partes illius remanent, & sunt independentes à semipalmo: ergo hoc formaliter quod est esse plures partes supra ipsas partes addit aliquid ex natura rei distinctum ab ipsis, siquidem hoc dependet à termino, & partes quoad entitatem non dependent ab illo, & idem dicendum est de similitudine, & cæteris.

Ad septimum dico efficientiam esse à fundamento in seipsum, posito termino, ita ut positio termini sit conditio sine qua non fundamentum influat in relationem. Deinde dico, verum esse quod sit eum influentia Dei, quia omnis entitas creata actu dependet à Deo; si autem Deus suspendat suum concursum ad omnem relationem, licet maneant albedines in eodem gradu, non manebunt formaliter similes: sed solum fundamentaliter, unde quando Aristoteles definit similitudinem per unitates, aut gradus eiusdem rationis, non definit relationem formaliter; sed fundamentum proximum, ex quo necessario resultat ipsa relatio similitudinis: unde illative ipsa relatio similitudinis manet definita, nam ea re vera sunt similia, quarum qualitas est una, non ipsis qualitatibus formaliter; sed relatione superaddita, quia diversum quid est, Petrum habere quatuor gradus albedinis, & etiam Ioannem habere alios quatuor (totum enim habet unum independentem ab alio absolute, & ut dici solet in ordine ad se) ac esse similes formaliter, nam esse similes habent cum dependentia ad invicem, ita ut unus dependeat ab alio, & in ordine ad aliud, quod omnino accidentarium est albedini ut quatuor existenti in Petro; nam licet

cet esset impossibilis alia albedo ut quatuor existens in Ioanne, nihilominus Petrus haberet illos quatuor gradus albedinis, in quo casu non esset similis formaliter, quia similitudo formalis essentialiter petit aliam albedinem actualiter existentem.

- 211 Deinde respondeo licet possit Deus suspendere concursum ad hanc, vel illam numero relationem, non tamen ad omnem simul: unde semper manebunt similes formaliter duæ albedines ex vi aliarum relationum, ad quas Deus præstat suum concursum, licet suspendat illum ad alias, quæ responsio in alio casu applicatur ab ipso Suarez; nam si interrogem ab hoc Authore, an possit Deus suspendere concursum ad omnes figuras simul, conservata quantitate, vel ad omnes præsentias; Respondet, licet Deus possit suspendere suum concursum ad hanc, vel illam præsentiam, ad hanc, vel illam figuram, non tamen ad omnes simul propter connexionem necessariam quantitatis cum figura: ergo recta est nostra solutio.

SVBSECTIO VLTIMA.

In qua secunda sententia argumenta solvuntur.

- 212 Ad primum nego maiorem, ut patet ex dictis, nam vere mutatur fundamentum intrinsece per resultantiam relationis.
- 213 Ad secundum nego maiorem, ut patet ex supradictis.
- 214 Ad confirmationem distingo maiorem, quæ sumitur ab aliquo tanquam à forma, concedo maiorem; quæ non sumitur ab eo, tanquam à forma, nego; ad minorem distingo, sumitur ab extrinseco tanquam à forma, nego, tanquam à requisito in obliquo connotato, concedo.



QVÆSTIO III.

Verum relatio prædicamentalis sit idem formaliter cum fundamento, & termino?

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

PRIMA sententia asserit, relationem formaliter esse idem cum fundamento, & termino; ita ut mea similitudo v. g. ex æquo includat utramque albedinem, sicut homio ex æquo includit materiam, & formam: hanc sententiam tenet Durandus in primo, distin. 30. quæst. 1. P. Hurtado, in metaphys. disp. 15. sect. 11. Arriaga in log. præd. de Relat.

2 Probatur primo auctoritate D. Thomæ opus. 48. tract. 5. de prædicamento ad aliquid, cap. 3. ubi ait, & sic relatio differt à suo fundamento, quia relatio dicit rem sui fundamenti, & oppositum terminum, quem non dicit fundamentum, & sic relatio differt à suo fundamento, quia importat oppositum relativi; sicut enim dicimus, quod totum differt à sua parte, non sicut res à re, sed sicut illud, quod importat plus, quam pars, &c. quibus

verbis dictam sententiam videtur sine tergiversatione docere.

Secundo probatur ratione: relatio non est motus ex natura rei distinctus à suo fundamento, neque est fundamentum solum, nec solus terminus: ergo consistit in utroque formaliter; prima pars antecedentis iam probata manet argumentis adductis pro sententia P. Suarez, secundam partem probat P. Hurt. rationibus, quibus libens supersedeo, quia sunt pro nobis, & non contra nos, sed contra Patrem Suarez.

Tertio probatur, in relatione tacti, quæ est prædicamentalis, quia tangere est ad aliud; sed duo corpora habent relationem tacti præcise per coexistentiam in duobus locis immediatis: ergo relatio formaliter consistit in utroque extremo: pater minor, quia coexistentia duorum corporum in duobus locis immediatis est tactus utriusque: ergo ab illa denominantur tacti: hæc sunt omnia argumenta, quibus innititur horum authorum sententia, omniaque à Patre Hurt. adducuntur, neque aliquid novi addidit P. Arriaga.

SECTIO II.

In qua nostra sententia ponitur, & probatur.

NOstra conclusio: relatio prædicamentalis non est formaliter, & essentialiter æque utrumque extremum, fundamentum videlicet, & terminus: hæc est communis sententia Doctorum, quam ut certam supponunt, & ideo breviter eam probant.

Probatur primo, quia si relatio non distingueretur formaliter à fundamento, & termino, non daretur prædicamentum relationis; sed hoc est absurdum, & contra adversarios: ergo distinguitur formaliter, &c.

Probatur maior primo, quia vel in prædicamento relationis poneretur relatio, quæ fundatur tam in substantia, quam in accidenti; vel solum relatio, quæ fundatur in accidenti; sed non primum, neque secundum: ergo, &c. Probatur minor quantum ad primam partem, & eam concedit Hurt. asserit enim sect. 3. §. 42. relationes substantiales directe pertinere ad prædicamentum substantiæ; indirecte vero ad prædicamentum relationis, & ratio est, quia in sententia adversariorum relationes, quæ fundantur in prædicamento substantiæ intrinsece sunt substantiæ, extrinsece sunt accidentis, sed prædicamentum relationis est accidens intrinsecum: ergo illæ relationes non ponuntur in prædicamento accidentis.

Dices, utramque esse accidens metaphysicum, & sic poni in prædicamento accidentis.

Sed contra, quia esse accidens metaphysicum non tollit, quin una relatio intrinsece, & essentialiter sit accidens, & alia tantum extrinsece, & accidentaliter; sed ex rebus, quæ extrinsece sunt tales, & quæ intrinsece sunt tales, vel participant aliquam rationem intrinsecam, & extrinsecam non potest constitui unum prædicamentum: ergo, &c.

Minor probatur: prædicamentum constituitur ex generibus, & speciebus: sed quando aliqua ita se habent, ut vni conveniat intrinsece aliqua ratio, & alijs extrinsece, non potest dari illis aliqua ratio generica, neque specifica: ergo, &c. Maior constat ex dictis supra in antepædicamento. Probat